IOANNIS MALDERI ... IN CANTICUM CANTICORUM SALOMONIS...

Johannes Malderus

IOANNIS MALDERI
EPISCOPI ANTVERPIENSIS
S. Th. quondam Louanij Professoris

IN
CANTICVM
CANTICORVM
SALOMONIS
COMMENTARIVS.

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Balthasarem Moretum, & Viduam
Io. Moreti, & Io. Meursium.
M. DC. XXVIII.

PERILLVSTRI ET RMO
ANTISTITI
INACO DE BRIZVELA
ex Ordine Prædicatorum
REGI CATHOLICO
A CONSILIIS STATVS
ET
CONCILII BELGICI
PRÆSIDI.

REVERENDISSIME & Ampliſſime DOMINE, Meditandi ſolatium interdum neceſſarium eſſe Paſtoribus ſuarum ouium ſollicitudine varia ſæpè diſtractis, nouit A.V. Ad quod ſolatium dum ſubinde me è curarum æſtu pro

mea fragilitate ſubduco, etiam CANTICI CANTICORVM penitiora arcana expendere cœpi: in quibus tam apta Paſtoribus monita, & tam opportunas & diſcretas meditandi oueſque curandi viciſſitudines reperi; vt ea vtilitate illectus, animum etiam ipſe appulerim ad aliquam huius argumenti meditationem, & anniti cœperim ad diuiniſſimi iſtius ſcripti interpretationem. Sanè in progreſſu non pauca deprehendi myſteria ſub cortice literæ tecta, Paſtoribus admodum vtilia. Cùm verò, mediocritatis meę conſcius, mihi quæ annotaueram ſeruare potiùs debuiſſem; alia tamen ratione permotus fui & inductus, vt publici ea iuris facerem. Conſideran-

ranti autem mihi quanta aſtringerer iam olim contracta obligatione ad perpetuum R[mæ] D. V. cultum, Ampliſſimo nomini Veſtro hunc meum Commentariolum inſcribere viſum eſt: non quòd ea inſcriptione aliquid A. V. acceſſurum præſumpſerim; ſed quòd ſaltem grati & memoris animi ſignificatio præter rem non futura videbatur, etiam vbi aliud nihil cõferrem. Accedit, quòd argumenti ſanctitatem viro religioſiſſimo placituram non dubitem, vt meus conatus vel inde commendabilis ſit futurus, quòd tam idoneum Patronum habeat, præditum nimirum eminenti auctoritate, eaque comparata non ſui generis alioqui notiſſima nobilitate, ſed pro-

priæ mentis inſigni ſplendore : qui primùm in eminentiſſima S. Theologiæ ſcientia, deinde in praxi interioris fori, quando in Belgij noſtri Principatu ſuo feliciſſimo Magnum Albertum Auſtriacum,glorioſæ & æternæ memoriæ Principem, in rebus conſcientiæ dirigebas, atque in ipſa Rep. Belgica difficillimis temporibus conſilio ſuſtentanda præclarè eluxit, & etiam nunc elucet in Hiſpania. Poſtquam enim Epiſcopatum ſanctè geſſiſti, & curis vrgentioribus abreptus, bono exemplo iterùm eumdem ſepoſuiſti, Regi Catholico Magno Monarchæ, optimo Principi noſtro, & Belgicæ noſtræ prudenter conſulis ac feliciter. Rogo itaque

que

que vt libellum hunc in clientelam ſuam recipiat A. V. quæ ſemper mihi fauit; Deumque precabor, vt bono Eccleſiæ & Reipub. ipſam diu ſoſpitet & ſeruet

R^MAE ET AMPL^MAE D. V.

obſequio deuotus

IOANNES EPISCOPVS ANTVERP.

PRAEFATIO
AD
LECTOREM.

I*N Canticis valdè excelluisse Salomonem, testatur Ecclesiasticus cap. 47.* In cantilenis, & prouerbiis, & comparationibus, & interpretationibus miratæ sunt terræ. *Inter cantilenas autem ipsius excellentissimum habitum fuisse istud Canticum, indicat vel ipse titulus : ideò enim* Canticum canticorum *est dictum, more* Hebræo, *quòd excellentissimum sit canticum; quomodo &* Sancta Sanctorum, *&* Rex Regum, *dicuntur. Est autem excellentissimum, quia de Rege Regum, de mysteriis mysteriorum, de beneficiis beneficiorum, de fine finium. Sponsus electus ex millibus, Sponsa perfecta, desponsatio admirabilis, nuptiæ ineffabiles, amor fortissimus, deliciæ purissimæ. Sit meditator,*

ditator, ſit lector, ſi non annis maturus, ſaltem animis, & motibus ac moribus caſtiſſimus.

--- procul hinc, procul eſte profani.

Variè hunc librum Interpretes partiuntur. Valentia in decem Cantica diſtribuit: quorum primo agatur de Patrum Chriſtum exſpectantium deſiderio; ſecundo, de ipſo myſterio Incarnationis; tertio, de vocatione Apoſtolorum; quarto, de miraculis & conuerſatione Chriſti; quinto, de aſcenſu eius in Ieruſalem; ſexto, de morte Chriſti, & noſtra redemptione; ſeptimo, de prædicatione Apoſtolorum inter Iudæos; octauo, de prædicatione eorumdem in Gentibus; nono, de pugna & victoria martyrum; decimo, de proſperitate & pace Eccleſiæ data per Conſtantinum. D. Thomas Canticum iſtud partitur ſecundùm tres ſtatus Eccleſiæ. Primus eſt ante diſceſſum Iudæorum, quibus crux fuit ſcandalum; & de eo dicit agi vſque ad 3. capitis verſum 7. En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt. *Vbi dicit incipere Salomonem*

tractare de secundo statu Ecclesiæ; in quo rami sunt fracti, quando Iudæi sunt excæcati, & Gentiles sunt admissi, vsque ad versiculum 10. *capitis* 6. Descendi in hortum nucum. *Illo enim versiculo vsque ad finem dicit agi de tertio statu Ecclesiæ, quando Iudæi omnes salui fient. Delrius etiam Canticum istud partitur secundùm tres status Ecclesiæ, videlicet incipientis, proficientis, & perfectæ: quamuis dicat, quod rectum est, interdum quædam misceri quæ ad alium statum pertineant, quando de eo non agitur potissimùm, sed de alio.*

Ceterùm, partitio P. Arnoldi Cathij maximè placet, qui diuidit hunc librum in quatuor partes. Prima est, de incipientium statu: secunda, de statu perfectorum qui sibi viuunt in dulcedine vitæ contemplatiuæ: tertia, est de statu perfectorum qui animas curant: quarta, de modo se parandi ad transitum ex hac vita.

Quare autem Salomon noster in hoc Dramate loco Sponsæ accipiat pastoriciam puellam, quæ & greges pascat, & agros, vineas,

vineas, & hortos colat, ipséque Sponsus quasi eadem exercens introducatur; vera ratio est, quòd ita delicias diuini amoris celebrare hîc intendat, vt non tantùm contemplatiuam vitam, sed actiuam illam & pastoralem commendatam velit. Verus enim Salomon in hunc mundum venit, vt pastoralem curam exerceret, & pro ouibus suis moreretur. E vinea eiectus in horto sepelitur, & vt hortulanus apparet. Cura autem animarum sæpè in Scriptura pastorali curæ & culturæ agri, vineæ, aut horti comparatur. Sanè sicut ista ciuitati terrenæ, & vitæ huius sæculi conseruandæ necessaria est, (propterea enim eius auctor esse dicitur Deus, qui & auctor naturæ, Ecclesiastici cap. 7.) ita cura animarum necessaria est ad obtinendam vitam animæ huius & futuri sæculi, & ab ipso Deo instituta, & diligentibus se commendata. Et sicut agricultura apud prudentes rerum æstimatores optima semper est habita, & libero homine dignissima, vt benè Cicero iudicauit: ita cura

anima-

animarum dignissima est & præstantissima functio, Deoque in hac vita gratissima, & maximi meriti apud eum qui reddet vnicuique secundùm proprium laborem in hoc laborioso opere impensum. Vale.

SYNO-

SYNOPSIS COMMENTARII.

PARS PRIMA.

De ſtatu adoleſcentularum quæ primùm ingrediuntur vitam ſpiritualem.

SECTIO I.

SECTIO

PARS SECVNDA.

De statu Sulamitidis, prout in contemplatiuis sibi soli vacat, ad pedes Domini cum Maria sedens.

SECTIO I.

PARS

PARS TERTIA.

De statu Sponsæ pascentis animas.

PARS QVARTA.

De præparatione ad mortem.

SECTIO I.

IN

IN CANTICVM CANTICORVM SALOMONIS COMMENTARIVS.

PARS PRIMA.

De ſtatu adoleſcentularum quæ primùm ingrediuntur vitam ſpiritualem.

SECTIO I.

Adoleſcentulæ Sponſæ prima vota.

CAP. I. *verſ.* 1. 2. 3.

1 OSculetur me oſculo oris ſui: quia meliora ſunt vbera tua vino,
2 fragrantia vnguentis optimis. Oleum effuſum nomen tuum: ideò adoleſcentulæ dilexerunt te. 3 Trahe me: poſt te
curremus in odorem vnguentorum

tuorum. Introduxit me Rex in cellaria ſua: exultabimus & lætabimur in te, memores vberum tuorum ſuper vinum: recti diligunt te.

I. OSCVLETVR ME OSCVLO ORIS SVI.] Summa votorum, excipi illo oſculo beatifico, quo contineatur & amplexus noſter Dei os ad os viſi clarè apparentis, & amplexus quo ipſe nos Deus amplectitur quando in gaudium ſuum introducit. Quia tamen Sponſus Rex & Salomon noſter Chriſtus Dominus eſt, oſculari rectè hîc ipſi Chriſto tribuitur: qui Sponſam ſuam & fidelium ſe expectantium congregationem oſculatus eſt, quando Verbum caro factum eſt; & beatitudinis æternæ arrham Sponſæ ſuæ militanti Eccleſiæ dedit, quando nimirum Spiritus ſanctus deſcendit & ſuperuenit in Virginem, & virtus Altiſſimi ipſi obumbrauit.

II. QVIA MELIORA SVNT VBERA TVA VINO, FRAGRANTIA VNGVENTIS OPTIMIS.] Difficilis eſt hic locus: vbera enim Sponſo bis (hîc nimirum, & infrà verſu 3.) tribuuntur, cùm alibi non niſi de vberibus Sponſæ agatur, & non ſoleant in viris vbera conſiderari, quæ tantùm ornatum &

& fomentum cordis, non vſum alimenti adferunt. Dicunt ergo Giſlerius & Sottomaior, non tam vbera aut mammas, quàm ipſum amorem (cuius vbera ſunt hieroglyphicum) per vbera ſignificari: quod confirmant eò quòd vox Hebręa & amorem & vbera ſignificet. Addere poſſumus, vbera metaphoricè ſumpta rectè tribui Filio Dei propter affectum amoris, quia ipſe prior dilexit nos, vt meritò Sponſa redamare incipiens, amatorio modo loquens, vbera hîc potiùs ei quàm ſibi tribuat: vbera, inquam, quibus ipſa in amorem aut potiùs ad redamandum Sponſum pelliciatur, eo modo quo vbera feminæ in amorem ſui virum pellicere ſolent. In corde amoris & feruętioris ſanguinis ſedes eſt: cordis autem & vberum in homine magna eſt coniunctio. rectè ergo per vbera amor ſignificatur. Imò tribuuntur etiam Sponſo vbera propter nutrimentum; quomodo Iſaię 60. mamilla Regum lactanda Eccleſia prædicitur: vt enim paruulorum vagitus vberibus matrum ſatiato alimenti appetitu ſedantur; ita Chriſtus ſuo aduentu deſiderium & gemitum Eccleſiæ impleuit, quando ipſemet venit qui erat deſiderium collium æternorum, & deſideratus cunctis Gentibus.

Datur vinum mœrentibus; ſed ſuper vinum ſunt vbera conſolationis ipſius Sponſi.

Non enim guſtu tantùm ſuaue eſt lac eorum, ſed odorem ſpirant omnis ſuauitatis. Nec hoc ſolùm; quia non ſolùm in ſe continent illam fragrantiam, ſed longè lateque inſtar olei effuſi eam emittunt: adeò vt ex præſtantia & diffuſione iſtius fragrantiæ, nominetur Dilectus, & nomen accipiat auguſtiſſimum & apud omnes celebratiſſimum: ſic vt etiam adoleſcentulæ, inquit Sponſa, quæ alioqui ſine numero nondum illigatæ diuinis amoribus diſcurrebant, nunc diligant dilectũ meum Chriſtum ſiue Vnctum: ex quibus ego vna iam ad ipſum propiùs accedere contendo. Quod cùm meis viribus
III. non poſſim; TRAHE ME, ô mi Sponſe, & CVRREMVS ego, & quas tibi adducere potero hortatu meo & exemplo, IN ODOREM VNGVENTORVM TVORVM, quò nos vocat nominis tui fragrantia. Ecce quàm citò me audiuit & exaudiuit. Traxit me, & INTRODVXIT ME REX IN CELLARIA SVA, vbi guſtauimus de vberibus eius. Cuius conſolationis memores EXVLTABIMVS ET LÆTABIMVR IN TE, MEMORES VBERVM TVORVM vinum ſuperantium, omniſque fragrantiæ eorum: ratione quorum meritò RECTI & æqui rerum æſtimatores DILIGVNT TE.

SECTIO

SECTIO II.

Post laudes Sponsi suos defectus eorumque causas Sponsa exponit.

CAP. I. *versu* 4. & 5.

4 NIgra sum, sed formosa, filiæ Ie-
rusalem, sicut tabernacula Ce-
dar, sicut pelles Salomonis. 5 Nolite
me considerare quòd fusca sim, quia
decolorauit me sol: filij matris meæ
pugnauerunt contra me, posuerunt me
custodem in vineis: vineam meam non
custodiui.

NIGRA SVM, SED FORMOSA, FILIÆ IERVSALEM, SICVT TABERNACVLA CEDAR, SICVT PELLES SALOMONIS.] IV. Mirantur filiæ Ierusalem Sulamitidem tam citò ita profecisse, vt in cellaria Regis admissa sit, & iam in concubinam assumpta, cùm pulchra non sit. His respondet: Se quidem, si naturalia spectentur, non esse pulchram, sed nigram, sicut tabernacula Cedarenorum; continuò bellis & latrociniis vacantium, adeoque nigra tabernacula, vtpote vsu sordido & diuturno maculata, habentium. At si spectetur super-

naturale Dei donum, esse formosam, sicut pelles & tentoria hominis pacifici siue Salomonis, qui tabernacula sua non nigra, vt bellis impliciti Cedareni, sed concinna haberet. Vbi aduerte, à bello quod est inter carnem & spiritum, adeoq́ue à peccato concupiscentiæ, hominem interiorem esse deformem: pulchrum autem, quando pacem Dei habet, quæ exuperat omnem sensum. Tunc enim anima eius est Sulamitis, hoc est, pacica & perfecta.

NOLITE ME CONSIDERARE QVOD FVSCA SIM, QVIA DECOLORAVIT ME SOL.]
V. Quasi dicat: Quamuis à natiuitate deformitatem peccati contraxerim; est tamen mihi peccatum contra naturam: & recta quidem in primo parente creata sum; sed decolorauit me sol, concupiscentiæ scilicet æstus. FILII MATRIS MEÆ PVGNAVERVNT CONTRA ME: opera Euæ quæ Adam in peccatum induxit, me oppugnarunt, & nigram per peccatum fecerunt. Non dicit, *Filij patris mei*, quia concupiscentia non est ex Patre. Iidem matris meæ filij, prauæ concupiscentiæ, eò præsumptionis me adegerunt, vt ponerent me CVSTODEM IN VINEIS, & cum meipsius detrimento aliorum curam suscepi. Vnde & in aliud malum sum præcipitata, quia pœnis obnoxia facta sum. VINEAM MEAM

NON

NON CVSTODIVI. non ſum executa ſollicitudine qua par erat curam animarum. Ceterùm, cùm concupiſcentia ex diaboli veneno ſit, per filios matris ſuæ potuit Sponſa etiam intelligere ſpiritus malignos, qui fuerunt inter filios ſupernæ Ieruſalem matris noſtræ, ſed exheredati ſunt propter peccatum, & in nobis ardere faciunt halitu ſuo & ſuggeſtionis ſuæ ſibilo prunas concupiſcentiæ: vnde ſequitur in nobis nigredo peccati; quia concupiſcentia cùm conceperit, parit peccatum. Huic explicationi nonnihil fauet, quòd quando dicitur apud LXX. *Pugnauerunt in me*, Origenes Hom. 2. intelligat *me* non accuſatiui eſſe caſus, quaſi dictum ſit, *contra me*; ſed ablatiui, vt in ipſa Sponſa filij matris pugnauerint. Sanè concupiſcentiarum noſtrarum pugnæ quamuis etiam contra nos ſint maximè, tamen in nobis ſunt. At quamuis Origenes ita intellexerit LXX. Interpretes, vt Vulgatæ noſtræ editioni Latinæ aduerſentur, ipſa tamen eſt retinēda. Magis probem, quod Beda & Haymo dicunt, intelligi hîc Eccleſiæ primitiuæ querelam contra Iudæos ſe perſequentes: ſunt enim ij filij Synagogæ, quæ etiam mater fuit Eccleſiæ primitiuæ, quia primi Chriſtiani maximè erant ex Circumciſione. Alij filios matris pugnantes contra Eccleſiam intelligunt malos Eccleſiæ

rectores, paſcentes ſemetipſos: illi enim vineam non cuſtodiunt, ſed oppugnant. Thomas Ciſtercienſis, per matrem, Euam intelligit; & ſatis conuenit cum noſtra interpretatione.

Eſt alia explicatio ſecundùm quam loquitur hîc populus fidelis Iſraëliticus, & queritur de fratribus ſuis idololatris, qui ſunt quidem filij Synagogæ communis matris, ſed non ex Patre Deo, verùm ex diabolo omnis idololatriæ & apoſtaſiæ patre. Sunt qui per filios matris hîc intelligant hæreticos; de quibus Ioannes: *Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis.* & Actorum 20. Paulus: *Ex vobiſipſis exurgent viri loquentes peruerſa, vt abducant diſcipulos poſt ſe.* Hæretici ergo ſecundùm iſtos ideò ſunt filij matris Eccleſiæ, quia non ſolùm Chriſtiani dici volunt, ſed Catholici: ſunt enim falſi fratres; & nominantur fratres, ſed non ſunt. Filios interim matris ſe profitentur, & in Eccleſia, cùm foris ſint: pugnant contra Eccleſiam, quam per diabolum (ſolem denigrantem) obfuſcant.

Ceterùm retento primo intellectu, aduerto Sponſam loqui in perſona illorum, qui parum exercitatos habentes ſenſus, temerè affectant Epiſcopatum; hoc eſt, cuſtodiam alicuius de vineis: propterea enim in plurali dicitur POSVERVNT ME CVSTODEM IN VINEIS.

NEIS. Deſiderium enim fertur indefinitè in hanc vel illam vineam: & additur, VINEAM MEAM NON CVSTODIVI, in ſingulari; quia vnum illum Epiſcopatum, quem ex pluribus nactus fuit temerarius appetitor, ſollicitudine operoſa non cuſtodiuit.

SECTIO III.

Quietem Contemplationis Sulamitis, poſtquam malè ſibi ceſsit vineæ cuſtodia, in alterum extremum declinans, vnicè affectat.

CAP. I. *verſu* 6.

6 INdica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum.

INDICA MIHI, &c.] Quaſi dicat: VI.
Malè mihi ceſſit cura animarum aliorum: in poſterum non tam paſcere, quàm cæleſtibus deliciis ipſa paſci deſidero. A quo autem paſcar, niſi à te, QVEM ſolum DILIGIT ANIMA, & qui ſolus habes cellariorum cæleſtium claues. INDICA ergo MIHI, quæſo, VBI PASCAS, vt ad te me conferam paſcenda à te. Indica VBI CVBES IN MERIDIE, quando ſol ille qui me deni-

grauit se maximè leuat, quando concupiscentiæ æstus maximus est, vbi tunc me cubare aut meridiare doceas, quomodo & vbi solstitium pecori tuo defendas. Nisi enim mihi sis in æstu illo temperies & dulce refrigerium, iterùm huc illuc diuagabor; & iam pasci desiderans, irrationabiles duces, cæcos, & in deserto aut in penetralibus pasturam (quasi & ipsi compastores & sodales tui sint, cùm potius idolum sint) fingentes, sequi incipiam. Et cùm non satient porcorum siliquæ, nunc huc nunc illuc diffluam errabunda, quærens alibi quod apud te solum reperiri potest: atque ita fiet, vt vitans Scyllam, incidam in Charybdim. Malè paui, nunc malè pascar; imò pascua non inueniam, æstu concupiscentiæ abripiar ad praua quibus iterùm denigrer. Hic sensus videtur verus. Accommodat tamen Anselmus ista verba recèns conuersis ex Gentibus, quibus precentur Deum, vt det ipsis cognitionem sui: scilicet vt cognoscãt eos in quibus habitat Deus, vt eos imitentur; cognoscant etiam eos qui sunt hæretici, vt eos non sequantur. Dicit autem hæreticos dici sodales Christi, quia vt faciliùs decipiant, prædicant aliquid veritatis, vel quia sodales Christi se esse dicunt. Benè autem monet, greges in plurali dici, quia hæresis vna non est, sed plures mox oriuntur,

riuntur, quando ſemel receditur à Paſtore vno. D. Thomas putat illud VBI PASCAS, VBI CVBES, eſſe periphraſin domus Sponſi: qui dicatur cubare in meridie, quia Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ. Pulchrè autem notat ideò hæreticos rectè dici ſodales Chriſti, quia non diſcipuli eius eſſe volunt, ſed collegæ in magiſterio; quia propria docere incipiunt, & eſſe magiſtri vt Chriſtus. Ex quo colligimus, malè ſectarium quemdam appellare ſodales Chriſti hoc loco illos, qui Religioſorum aliquam congregationem inſtituerunt: quales ſunt Benedictus, Norbertus, Dominicus, Franciſcus, & alij: illi enim ſub diſcipulatu Chriſti ſe & ſuos poſuerunt, non magiſterium nouæ doctrinæ vſurparunt, vt hęreſiarchæ faciunt. Philo Carpathius illud, VBI PASCAS, VBI CVBES IN MERIDIE, intelligit de hora mortis Chriſti, quando ipſe à Patre ſe derelictum queritur. Intelligit itaque de meridie tentationis, quando eſt vis maxima & ſummus æſtus tentationum: in quo cum noſtro ſenſu conuenit.

SECTIO

SECTIO IV.

Ad pugnam in vita Pastorali resumendam, promissa victoria, Sulamitis animatur.

CAP. I. *versu 7. & 8.*

7 SI ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hœdos tuos iuxta tabernacula pastorum. 8 Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea.

VII. SI IGNORAS, &c.] Quasi dicat; Pulcherrima mulierum, quia videris teipsam ignorare, & nescire quid tibi vtile sit, quando vis à Pastorali cura te eximere; audi cõsilium meum. Non ita apud te habitare cogites, quin egrediaris ad curam ouium. Abi ergo vt priùs, & diligenter inuestiga, quo loco sint greges à te deserti: & inuentis gregibus tuis non tantùm oues, sed etiam hœdos pasce, donec ego eos ab ouibus separem. Pasce inquam eos, qui te alienauerant ab officio Pastorali, & quantum in te, eos conuerte qui te auerterunt. rursum animum resume. PASCE illos IVXTA TABERNACVLA PASTORVM. Pasce

eos

eos in Ecclesia, qui etiam iuxta aut extra Ecclesiam sequiori vita quadamtenus esse videntur, dum spiritú Christi in domo Christi non habent, ideoque diminutiuè Christiani sunt. Id si feceris, non tantùm PVLCHERRIMA eris INTER MVLIERES, sed AMICA MEA; & ab amico tuo tantam fortitudinem accipies contra hostes meos, vt, sicuti mei exercitus equitatu conflixi cum CVRRIBVS PHA- VIII.
RAONIS, quando in exsiccato à me mari persequebatur populum meum, eumque cum suo equitatu superaui ac demersi; ita & tu sis pugnatura cum hostibus meis, qui te affligunt, & oues tuas persequuntur, eosque superatura insigni victoria. Tantùm esto forti animo.

Hic verus videtur sensus, cui fauet Origenes. Haymo per equitatum intelligit ipsos filios Israel saluatos in mari rubro; quibus similis fit Ecclesia, quando per aquam Baptismi saluatur.

Sunt qui equitatum Salomonis in curribus Pharaonis, cui hîc Sponsa assimilis prædicatur, intelligant illum quem sibi compararauerat ex Ægypto; vbi erant præstantissimi equi. constat enim 3. Regum 4. Salomonem abundasse equitatu: & itidem constat ex capite 10. eiusdem libri, & lib. 2. Paralip. 9. equos ipsi ex Ægypto fuisse adductos. Sanè iste

iſte commentarius eſt probabilis, eumque ſequuntur Nannius, Sottomaior, Tuccius.

Alij ita explicant, quaſi dictum ſit: Dum malè agendo adhuc eſſes in curribus Pharaonis, ego te equitatui meo aſſimilaui, & equis meis te comparaui, conſiderans quòd te prædeſtinauerim. Ita habet Thomas Ciſtercienſis. *Omnes enim*, inquit, *qui malè agunt, ſunt equi in curribus Pharaonis, ſcilicet diaboli, à quo tamquam auriga diriguntur & aguntur.*

Alij, occaſione ambiguitatis quæ eſt in Hebraico & Græco textu, Sponſam hîc dicunt non equitatui ſed equæ comparari. Ita quidam Hebræi. At meliùs equitatui comparatur, quæ poſteà dicitur terribilis vt caſtrorum acies ordinata.

SECTIO V.

Paſtorali curæ intenta Sulamitis, monetur non deponere meditationis ſtudium.

CAP. I. *verſu* 9. *&* 10.

9 PVlchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis: collum tuum ſicut monilia.
10 Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.

PVLCHRÆ

PVLCHRÆ SVNT GENÆ TVÆ.] IX.
Quaſi dicat: Ad pugnam & laborem ita te ſum adhortatus, vt tamen nolim te negligere Meditationis ſtudium, quod incenditur poſt labores, & iterùm laborandi vires reparat.

In meditatione intentio tua fulgebit: te enim recolligens, quis ſcopus ſit actionum tuarum cogitabis. Meritò autem genis intentio comparatur, quia oculorum quaſi portatrices ſunt, quos intentioni Saluator in Euangelio comparauit. Ideò autem duas genas habet intentio, quia in ea debent conſiderari res & cauſa: hoc eſt, quid intendas, & propter quod intendas. Ideò genæ iſtæ ſunt SICVT TVRTVRIS; quia abſentiam meam defles, vt ſæpè madeant genæ tuæ gemitus & lacrymarum nube. Sed & hoc ipſum caſtitatis tuæ ornamentum eſt; vt vel ideò pulchræ iam ſint genæ tuæ, ſicut turturis ad comparis abſentiam gementis. Turtur enim monogamus eſt, & femella amiſſo coniuge aquas vitat limpidiores, ne ſe in aquis conſpecta coniugij recordetur. Viduæ autem ideò in turturibus frequentiores ſunt, quòd mares, vt refert Ariſtoteles lib. 9. Hiſtor. animalium, cap. 7. citiùs mori ſoleant, & minùs viuaces ſint.

COL-

Collvm tvvm sicvt monilia.] *Sunt* qui turtures ſæpè torquatos eſſe memorent, & ideò collum Sponſę hîc dici ſicut monilia; vt non ſit opus monilibus hîc aſcititiis, cùm quaſi natiua turturi noſtro ſint.

Intellectus tuus eſt collvm tvvm: quia ſicut collum tuum caput coniungit ventri; ita intellectus bonarum genarum conceptus in memoriæ ventrem ac ſtomachum traijcit. Sicut enim corporis cibus per collum traijcitur, ita animæ cibus per intellectum traijcitur ad memoriæ cellulam. Intellectus ergo tuus, hoc animæ tuæ collum ita eſt in ſe ornatum, vt ipſum ſit sicvt monilia, & iam monilibus non indigeat. Diuinis enim cogitationibus animæ decor mirum in modum augetur, & habitualem gratiam ita promouet, vt nobilius, ea ſic ornata, nihil ſit in rebus creatis. Neque hoc ſolùm tibi conferemus, vt ſis habituali gratia diuinæ conſors naturæ, & incredibili iam pulchritudine

x. ornata: ſed & mvrenvlas avreas faciemvs tibi, charitatis ſymbolum, & quaſi coronam exercitæ in proximos charitatis, in affectus optimi teſtimonium: vermicvlatas argento, in teſtimonium ſapientiæ tuæ, & intelligentiæ diuinarum Scripturarum. Idem indicatur Pſalmo 67. *Si dormiatis inter medios cleros, penna columbæ deargentatæ,*

gentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri. Et Psalmo 11. *Eloquia Domini, eloquia casta; argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.* Argentum enim, vt inquit Anselmus, est metallum tinnulum, vt meritò eloquij sit hieroglyphicum. Murenulæ ergo nostræ ita aureæ, vt tamen sint vermiculatæ argento, vt amoris zelus diuinæ Scripturæ scientia per spiritum discretionis temperetur.

SECTIO VI.

Exercet Sponsa deuotionem, eiusque dulcedinem experitur & extollit.

CAP. I. *vers.* 11. 12. 13.

11 DVm esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorē suum.
12 Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.
13 Botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.

DVM ESSET, &c.] Quando Rex accumbebat mensæ, meque inde pa- XI.
scerer gratiæ suæ deliciis; ego de dono eius ei quasi reddens, vt pigmentaria eius nardo eum vnxi, pretioso in-

quam deuotionis meæ obſequio: ita vt vnguentum iſtud iam effuſum daret odorem ſuauiſſimum, vtpote fragrantia ſua auctum attactu Regis omni bono odore ſpirantis. Verùm in Rege non tantùm balſamum diuinitatis conſiderandum, ſed etiam myrrha Paſſionis: cuius vt iugiter memor ſim, tam-
XII. quam faſciculum myrrhæ continuò ipſum pro me paſſum inter vbera mea geſtabo, loco odoriferi aromatis quod mulieres geſtare ſolent inter vbera. Arcebit à pectore meo hoc amuletum ſua amaritudine vermem corrumpentem, ſicut myrrha ſua amaritudine à corpore condito arcet corruptionis ver-
XIII. mes. Ecce quomodo Dilectus meus partim me delectet, dum inſtar botri me reficit; partim etiam memoria ſuæ iuſtitiæ, ſuæ Paſſionis, me ad dolorem prouocet, dum vinum illud contemplationis contemplor eſſe CYPRI, hoc eſt mœroris, & eſſe ex VINEIS ENGADDI, quæ ſitæ iuxta Mare mortuum etiam diuinæ vindictæ ſymbolum ſunt.

Sit ergo anima Deo deuota ita in refectione diuinæ conſolationis, vt & Paſſionem Domini, & iudicium extremum meditetur. Ex Paſſione enim Domini omnis conſolatio nobis eſt: & occaſio datur cogitandi: Si in viridi ligno iſta fiant, in arido quid fiet? Magna etiam eſt cauſa gaudij, quòd iuſtus videat

deat

deat se Deum habere placatum, quem ita videt impiis iratum. Peccant contra hunc sanctum modum meditandi illi qui semper in nardo versantur suauis contemplationis, negligentes fasciculum myrrhæ, hoc est, meditationem Dominicæ Passionis, & studium propriæ mortificationis. Qui fasciculus ita cordi est Sponsæ, vt eum inter vbera collocet.

Traduntur ab Interpretibus & alij sensus huius loci. Vnus est: quando Verbum erat apud Deum, ibique in forma Dei Patri esset æquale, in eoque diuino accubitu esset; in plenitudine temporis esse incarnatum, & tũc Ecclesiæ nardum dedisse odorem suum. Alius sensus est, in ipsa Sponsa Regem suum accubitum fecisse, & tunc ipsam per nardum humilitatis odorem suum dedisse: vtrobique enim, per nardum humilem herbam & odoriferam, libenter intelligunt humilitatem. Illud autem, FASCICVLVS MYRRHÆ DILECTVS MEVS MIHI, conformiter passim explicant de memoria Passionis Dominicæ. Myrrhæ enim gutta amara est. In Passione autem Domini non tantùm est myrrha, sed fasciculus myrrhæ (inquit diuus Thomas) propter multas passiones & opprobria quæ sustinuit. Tanta passus pro Sponsa sua redamari meretur, & sic inter vbera eius poni, vt

nihil ipſa velit ſapere quod ei diſpliceat, nihil amare quod ipſe abhorreat. Idem diuus Thomas, ſicuti per myrrham Paſſionem Domini, ita per botrum Cypri, ex quo vinum eſt præſtantiſſimum lętificans cor hominis, intelligit Reſurrectionem; & per illud, IN VINEIS ENGADDI, vbi ſunt arbores balſami quo chriſma conficitur, cuius vnctione Spiritus ſanctus datur, intelligit Spiritus ſancti miſſionem inſinuatam eſſe.

Anſelmus notat *Engaddi* ſignificare tentationem oculorum: atque ita ſignificatur Eccleſia hîc eſſe IN VINEIS ENGADDI; hoc eſt, in continua tentatione oculorum. contra quam munitur faſciculo myrrhæ, hoc eſt, meditatione amaræ Paſſionis ſui Sponſi.

Beda aliam ſignificationem vrget: *Engaddi* enim etiam ſignificat fontem hœdi, id eſt, Baptiſmum in quo ex hœdis fiunt oues. Sanè dum in Reſurrectionis Dominicæ lętitia baptizantur Catechumeni, præſtans vinum eſt IN VINEIS ENGADDI Sponſi noſtri.

Obſeruari & hoc poteſt, Engaddi fuiſſe ciuitatem palmarum, eò quòd palmis floreret. Erat etiam ibi vinea balſami; quod ante noſtræ memoriæ nauigationes Indicas ibi ſolùm putabatur reperiri.

SECTIO

SECTIO VII.

Fructus deuotionis.

CAP. I. *verſu* 14. 15. 16.

14 ECce tu pulchra es amica mea,
ecce tu pulchra es; oculi tui co-
lumbarum. 15 Ecce tu pulcher es dile-
cte mi, & decorus. Lectulus noſter flo-
ridus: 16 tigna domorum noſtrarum
cedrina, laquearia noſtra cypreſſina.

ECCE TV PVLCHRA ES, &c.] Paſta deliciis meditationis anima fidelis pulchra redditur: pulchra duplici charitate, pulchra charitate Dei, pulchra charitate proximi. XIV.

OCVLI TVI COLVMBARVM.] Intentio tua ſimplex & recta. In Deo fundata, columbinam habes ſimplicitatem, & nihilominùs fecunda ad pariendum Deo. Meditatio enim bonis conceptibus reddit animam fecundam, ſicut columbæ fecundæ ſunt: reddit Sponſo fidelem, ſicut columbæ comparibus ſuis fidem ſeruant: reddit contra infernalem accipitrem cautam, vt columbæ intentiſſimo aſpectu accipitrem obſeruant, præcipuè vbi ſemel ab eo fuerint ſauciatæ.

Quæ similitudo etiam hîc non deest, cùm Sponsa pugnam sustinuerit filiorum matris suæ, & à sole fuerit obfuscata, & denique Maris mortui sterilitatem ex vicinis vineis Engaddi contemplata sit.

Dicit Aristoteles, accipitrum quoddam esse genus, quod volet in columbam humi considentem, aliud quod arbori aut alicui tali rei insidentem, aliud quod volantem tantùm capere conetur; & à columbis quodque genus cognosci, vt sublimipetam manendo suo loco, & humipetam euadant auolando. Discat ergo Sponsa Christi sibi cauere ab accipitre infernali, eiusque nequitia multiformi. Discat effugere timorem nocturnum, vitando pusillanimitatem; sagittam volantem in die, hoc est, tentationem vanæ gloriæ; negotium perambulans in tenebris, vitando tentationem ambitionis vel auaritiæ; dæmonium meridianum, non sectando malum sub specie boni.

XV. Reddit deinde Sponsa vicem suo Sponso. ECCE TV PVLCHER ES DILECTE MI, ET DECORVS. Pulchritudo exteriùs magis obseruatur in corpore: decor etiam in moribus & verbis est. Et quamuis etiam in mulieribus, tamen maximè in viris spectatur; cùm mulierum modestia decorem multum resecet in verborum venustate: ideoque appellata

lata pulchra, amicum etiam decorum appellat. quamuis & ipsa decorem suum habeat, & decora dici possit, vt etiam dicitur infrà Cap. 6. vers. 3. At omnis mea, inquit Sponsa, pulchritudo à tua est pulchritudine, à tuo decore. Tu me ornas, tu me decoras.

LECTVLVS NOSTER FLORIDVS, &c.] Virgineus thorus noster lectulus est, quia Sponso angustum est stratum, duos amatores non admittit. alter enim decidat necesse est, vt dicitur Isaiæ 28. NOSTER ergo lectus (quia Sponso & Sponsæ communis est) FLORIDVS, quia pace floret; & in pace quies est, à persecutione libera. Significatur Ecclesia pacem habens, potestque ipsum templum intelligi, vbi Sponsus animæ nostræ requiescit: contra quem adulterium admittitur, si alius Deus in eo colatur. Seruatur autem fidelis animæ cum Deo coniugium, quo desponsauit se nobis, vt simus populus eius, si nullum alium Deum cognoscamus præter ipsum, eique soli seruiamus.

A templo ad domos descendit. Sicut in templis Deus quiescit, quando in eis nos sibi soli vacare facit; ita singulos fideles, atque adeò multas domos inhabitat, animæque cuiusque fidelis adhæret tamquam vxori suæ in eadem domo. Quàm ornatam autem oporteat esse hanc domum, subiectis

XVI. verbis declarat: TIGNA DOMORVM NOSTRARVM CEDRINA. Ligna procera, non ponderoſa,& incorruptibilia apta ſunt ſpirituali domui Dei: quia oportet eos qui contignationem ſuſtinent Eccleſiæ, eiq́ue præſunt, eſſe longanimes, non eſſe graues cuiquam; ſed potiùs ſubleuare commune onus, & proximorum ſibi commiſſorum, non paſcentes ſemetipſos,non turpis lucri cupidos. Tignum cedrinum erat Apoſtolus, qui ſuis manibus laborabat,ne cui grauis eſſet, Actorum 20. 1.Cor.4. 1.Theſſal.2. 2.Theſſal.3. Oportet etiam eſſe incorruptibiles, ne ſint ſal infatuatum, ne ipſi putreſcant qui alios à putredine ſeruare debent.

LAQVEARIA NOSTRA CYPRESSINA.] Laquearia ſignificant ſuperiorem interius partem domus: adeoq́ue tropologicè ij deſignantur,qui in populo fideli, ſiue in Clero, ſiue in Monaſtica vita,ſublimioribus ſeſe occupant: ideò cypreſſinis lignis comparati, quòd id genus ligni odoriferum ſit,& iſti bonæ famæ odorem domui Dei concilient.

SECTIO

SECTIO VIII.

Exercitia ſancta quibus Sponſa Sponſo inhærens proficit etiam animarum lucro intenta.

CAP. II. *verſ.1.2.3.4.5.6.7.8.9.*

1 EGo flos campi, & lilium conual-
lium. 2 Sicut lilium inter ſpinas,
ſic amica mea inter filias. 3 Sicut malus
inter ligna ſiluarum, ſic dilectus meus
inter filios. Sub vmbra illius, quem de-
ſideraueram, ſedi: & fructus eius dulcis
gutturi meo. 4 Introduxit me in cel-
lam vinariam, ordinauit in me charita-
tem. 5 Fulcite me floribus, ſtipate me
malis; quia amore langueo. 6 Læua eius
ſub capite meo, & dextera illius ample-
xabitur me. 7 Adiuro vos filiæ Ieruſa-
lem, per capreas ceruoſque camporum,
ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis di-
lectam, quoadusque ipſa velit. 8 Vox
dilecti mei, ecce iſte venit ſaliens in
montibus, tranſiliens colles: 9 ſimilis
eſt dilectus meus capreæ hinnuloque
ceruorum: en ipſe ſtat poſt parietem

noſtrum, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos.

1. EGO FLOS CAMPI.] Verba ſunt Sponſæ, vt accipiunt Philo, tres Patres apud Theodoretum, Oſorius, Cathius & Tuccius: quamuis etiam non deſint qui Sponſo tribuant, D. Thomas, Sottomaior, Anſelmus, Giſlerius. In flore campi duo ſunt: & quòd communi vſui pateat, & concluſus non ſit in horto concluſo, & quòd non ſit in via vbi conculcetur ab hominibus. Ex meditatione ergo ſancta hoc profecit anima perfecta, vt ſine ſui detrimento aliis operam ſuam impendat, ita ſe ad proximum iuuandum effundat, vt nemo eam contemnat; vtpote quæ ſibi ſemper ideò præſens eſt, quia in campo huius ſæculi exiſtens, fixam in cælo radicem tenet.

ET LILIVM CONVALLIVM.] Certè in Deo radicata anima, facilè proximis boni odoris flos eſt, & lilium: ſed & ſibi candorem virginei lilij facilè ſeruat. Niſi tamen humilitate virtus omnis contra tineam ſuperbiæ muniatur, habet quod timeat. Itaque non ſolùm eſt LILIVM Sulamitis, ſed LILIVM CONVALLIVM, ſuſpiciens proximos quoſq; tamquam ſe ſublimiores, & in via ad montem Dei prouectiores: non magna de ſe ſentiens,

ſed

ſed humilibus conſentiens; atque omnes honore præueniens, non in oculis ſublimibus, non in erecto collo; at ſubmiſſis cum publicano in terram oculis, dum alios præ ſe iuſtificat, ſe deſpiciens à Sponſo ſublimatur. Ceterùm in flore campi hoc aduertimus, quòd ſponte, non operâ hominis naſcatur: ita & Eccleſia non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nata eſt: à Deo paſcitur, à Deo ornatur ſicut lilia agri, nihil ſollicita ſub tanti Sponſi cura, niſi vt ei placeat, eique fructificet.

SICVT LILIVM INTER SPINAS, SIC AMICA MEA INTER FILIAS.] Laudat Sponſus Sulamitidem, quòd ita emineat inter filias, ſicut lilium eminet dum carduis ſpinoſis comparatur, vtpote candore ſuperans, & contendendi conſuetudinem illam ſpinoſam non habens. Si quis enim contentioſus eſt, inquit Apoſtolus, nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei. II.

SICVT MALVS INTER LIGNA SILVARVM, SIC DILECTVS MEVS INTER FILIOS.] MALVS frondibus ſuis ſolem arcet, quieti aptum locum facit, flore oculos & nares recreat, fructu palatum reficit, famem ſimul & ſitim ſedat. LIGNA autem SILVARVM præter folia nihil tale habent, & ſub eis non eſt reperire III.

nire delapsum vllum fructum. At sæpè later anguis in herba. Sponsa ergo viciſſim laudans suum dilectum, comparat eum malo, quæ sub vmbra eius sedentem reficit frondis vmbra, floris odore, fructus alimento; cùm ligna ſiluarum vix primum præſtent. Significatur, quòd homo, qui vt se recreet, ad creaturas Dei se vertit, vmbram tantùm veræ delectationis, & cibum beſtiarum, ipſumque ſcorpium ac ſcorpij ictum inueniat. Qui enim ſe vertit ad concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum, aut ſuperbiam vitæ; captat, vt canis Æſopicus aliquis, loco voluptatis quod nouum gignit dolorem. Si quis autem delectationes ſuas quærat in Domino, dabit ei Dominus petitiones cordis ſui: Pſal. 36. Veram inueniet delectationem, verum refrigerium. Non ſequitur dolor eam voluptatem, quæ nihil habet pœnitendum; inuenit & amplectitur eum qui nos nutrit & roborat. Ideò Sponſa ſubiungit:

IV. SVB VMBRA ILLIVS, QVEM DESIDERAVERAM, SEDI: ET FRVCTVS EIVS DVLCIS GVTTVRI MEO.] Neque enim vmbratica tantùm & dolorifera nos voluptate paſcit Deus, ſed verè ſatiat ſine faſtidio, ex voluptate voluptatem inſtaurans: dulci cibo ita oblectans, vt fame ſitique diſcuſſa, animum vegetet roboretque, ad percurrendam ſine difficultate ſemi-

ſemitam diuinorum mandatorum. Imò nouis ſemper gaudiis ſuos deuotos Deus cumulat. Ideò Sponſa addit:

INTRODVXIT ME IN CELLAM VINARIAM.] Imò tantum mihi in hac vita contulit conſolationis, vt non ſolùm me more communi ſub pomo pauerit dulci ſuo fructu: ſed in penetralia ſuarum deliciarum me introduxit. Quod iis credo euenire, qui diuinæ gratiæ abundantiâ, ſpirituali quadam ebrietate ex vino illo cæleſtis conſolationis, quaſi extra & ſupra ſe rapiuntur, Deoque intimè vniuntur: quomodo & Apoſtoli muſto Spiritus ſancti pleni in die Pentecoſtes verba bona omnium linguis eructabant. Diſcimus autem hoc loco, non artificio humano, non violentia aliqua creaturæ adiri poſſe hanc cellam vinariam: ſed opus eſſe vt ipſemet Rex iam à ſe diſpoſitos, & dulcedine ſui amoris diu paſtos, nos in illa penetralia introducat. Vnde longè falluntur quidam, qui, vt quædam per diſciplinam traditur ars memoriæ, ita etiam humano ingenio exiſtimant poſſe quem irrumpere in hanc vinariam cellam. Si vis intrare, ſis diu nouitius ſub malo Crucis, eiuſque dulci fructu paſcere, donec Rex ipſe manu te apprehendat, & introducat in hanc ſuam cellam vinariam. V.

ORDINAVIT IN ME CHARITATEM.] Ne quis

quis existimet præclaro calice Sponsi ebriam Sulamitidem, & totam iam diuino amori immersam non ordinatè amaturam; dicit in se Regem ordinasse charitatem: vt nimirum Deum super omnia, seipsam propter Deum, & proximum amaret sicut seipsam. Ordinauit autem illo ipso vino, quod in sui memoriam propinauit, quo inuitatur Sponsa sequi vestigia Sponsi ordinatissima in charitate. Christus enim passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum vt sequamur vestigia eius. Passionis autem memoria in pane & vino est consecrato: quod vinum etiam de ista apotheca promptum est. Vinum ergo in Sponsa charitatem ordinat. Hoc mustum biberant qui dicebant: *Oportet nos magis obedire Deo quàm hominibus*. & ipse Sponsus dicit: *Quid prodest homini, si mundum vniuersum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?*

V. FVLCITE ME FLORIBVS, STIPATE ME MALIS: QVIA AMORE LANGVEO.] Ordinata in se charitate Sponsa ita amore exarsit, & in aduersis desiderio martyrij flagrauit; vt deliquium quasi passa, de florido lectulo communi, consolationis & roborationis flores expetierit: (quos non incommodè accipimus Sanctorum exempla, qui Christi bonus odor sunt) & MALIS, hoc est, dulcibus il-
lis

lis fructibus dilecti, iam malo comparati, refocillari, & quasi alioqui lapsura fulciri voluerit. Quæ mala rectè intelliguntur exempla Christi, hoc est, mali illius fructus præ arboribus siluarum laudatæ.

LÆVA EIVS SVB CAPITE MEO, ET DEXTERA ILLIVS AMPLEXABITVR ME.] Per læuam aduersa, per dexteram prospera designantur. Quando enim ad Orientem tendimus, læua nostra in Aquilone est, vnde panditur omne malum. Secùs si ad Orientem, qui Christus est (*vir Oriens* enim *est nomen eius*, Zach. 6.) non tendamus, sed ad Occidentem. tunc enim vice versa nobis Aquilo dexter est: quia sic tendenti diabolus est à dextris, secundùm illud Psal. 108. *Diabolus stet à dextris eius*. Et quia in hac vita Sponsa multa patitur aduersa; per læuam Sponsi, qua hîc languidulæ caput sustentat, significatur consolatio qua sustentatur in aduersis huius vitæ à suo Sponso: per amplexum autem dexteræ, fruitio Sponsi in vita æterna. Neque enim tunc solùm caput sustentabitur, ne illud saltem deficiat, hoc est, ne rationalis animæ pars aduersis huius mundi statu suo deiiciatur; sed Sponsam totam amplexabitur, quando Deus erit omnia in omnibus, omnemque satiauerit appetitum; cùm apparuerit gloria eius, nosque in dextera sua colloca- VI.

locabit. Confidens enim in dextera sedis magnitudinis in cælis, considere faciet etiam Sponsam suam. Hinc patet, quare Sponsi læua nunc dicatur esse sub capite Sponsæ, & dextera non nunc eam amplecti, sed amplexura esse. D. Hieronymus epist. ad Eustochium, de Custodia virginitatis, amplexum cælestis Sponsi obumbrari hîc existimauit, dicens: *Qui & in alio loco lapis prædicatur abscissus sine manibus, significante Propheta virginem nasciturum esse de virgine. Manus quippe accipiuntur pro opere nuptiarum, vt ibi: Sinistra eius sub capite meo, & dextèra illius amplexabitur me.*

VII. ADIVRO VOS FILIÆ IERVSALEM, PER CAPREAS CERVOSQVE CAMPORVM, NE SVSCITETIS, NEQVE EVIGILARE FACIATIS DILECTAM, QVOADVSQVE IPSA VELIT.] Sponsus in sanctis deliciis quiescẽtem Sponsam, per filias Ierusalem suscitari nolens, donec ipsa velit, ostendit se magnam curam eius gerere: eò magis quia per CAPREAS CERVOSQVE CVMPORVM, hoc est, per beatos Spiritus incolas montis sancti ac cęlestium camporum (saliunt enim in superna eiusmodi animalia) adiurat ne eam suscitent. Quia tamen addidit, QVOADVSQVE IPSA VELIT; interpretatur Sponsa, tacitè se & obliquè ab ipso Sponso inuitari ad euigilandũ. Itaq; dicit:

Vox

VOX DILECTI MEI, ECCE ISTE VENIT SALIENS IN MONTIBVS, TRANSILIENS COLLES.] Relucet in his verbis amor Sponsæ, quæ mox agnouit vocem Sponsi; quietemq́; indultam abrumpens, Egóne, inquit, quieti indulgeam; cùm Dilectus meus veniat SALIENS IN MONTIBVS? Magna festinatione ad me venit de montibus, auxilio mihi futurus & solatio, TRANSILIENS COLLES omnes, præ me humili & quasi lilio conuallium cunctis præteritis. VIII.

SIMILIS EST DILECTVS MEVS CAPREÆ, HINNVLOQVE CERVORVM.] Propter humanam naturam iam glorificatam, dicit Dilectum suum Christum Dominum similem esse cælestibus spiritibus in agilitate & videndi acumine, quod in capreis notatur; & victoria de serpentibus, quæ in ceruis illustris. Voce ergo Sponsi suscitatam se intelligit, vt in Dei scientia per caprearum acutissimum visum, & in superando antiquo serpente semper se maior fiat instar hinnuli ceruorum. IX.

EN IPSE STAT POST PARIETEM NOSTRVM, RESPICIENS PER FENESTRAS, PROSPICIENS PER CANCELLOS.] Quasi dicat: Quamuis in montibus saliat, collesq́ue transiliat; attamen qui vbique est, ita me pręsens obseruat quid agam, ac si vt amator curiosus conti-

nuò ſtaret ad parietem domus meæ,& curioſè me inſpiceret, nunc palàm per feneſtram, nunc occultè per decuſſatos feneſtræ cancellos. Paries qui nos à Deo diuidit, peccatum eſt: at ne à Deo diuidamur, per feneſtram humanitatis Chriſti lux diuinitatis nos illuſtrauit; imò & paries iſte diſſipatus eſt. Sunt tamẽ in crucis decuſſatæ modum feneſtræ noſtræ cancellatæ, dum hîc certamus cum principibus & poteſtatibus tenebrarum, quas nõ niſi per crucem immiſſa luce debellamus.

SECTIO IX.

Laudat virtutem Sponſæ Sponſus, diſcurrens per quinque ſenſuum obiecta, vt laudata virtus creſcat.

CAP. 2. *verſ.* 10. 11. 12. 13.

10 EN dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera amica mea,
columba mea, formoſa mea, & veni.
11 Iam enim hiems tranſiit, imber abiit,
& receſſit. 12 Flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis aduenit:
vox turturis audita eſt in terra noſtra:
13 ficus protulit groſſos ſuos: vineæ
florentes dederunt odorem ſuum.

STETIT

STETIT prospiciens, at nunc LOQVI- X.
TVR MIHI. Loquitur autem in hūc
modum. SVRGE à quiete tua, &
PROPERA ad profectum: AMICA
EA, quia sine peccato mortali; COLVMBA
EA, quia bono opere fecunda, & quia Spiri-
s sancti donis ditata: FORMOSA MEA, quia
rtutum monilibus ornata: ET VENI; te mi-
adiunge, vt & ego tibi cooperer. Non enim
igus in te est quæ amore cales; sed HIEMS XI.
RANSIIT, etiam IMBER lacrymarum exsic-
atus est. Terram iam fecundatam imbre ca-
or ad germinandum idoneam reddidit, &
nediocriter siccando temperauit. Habere
e sentio calorem, sed vernum, nondum
estiuum: itaque surge & veni, vt magis inca-
escas.

FLORES apparent quidem IN TERRA cor- XII.
lis tui, quibus visus recreetur; sed nondum
o numero, ea copia qua velim: adeò enim
ari adhuc sunt, vt potiùs tempus quàm lo-
cus sit putationi.

VOX TVRTVRIS AVDITA EST IN
TERRA NOSTRA.] Hoc est: Cantu quidem
tuo dulci nos recreas, sed gemitu delecta-
tio aurium minuitur. Gustui spem potiùs de-
lectationis, quàm ipsam delectationem præ-
bent FICVS, dum non maturas habent ficus, XIII.
sed GROSSOS. VINEÆ similiter à te cultæ,

dant quidem naribus meis flore ſuo, hoc eſt, ſpe vini, gratum ODOREM; ſed nondum ipſum vinum inde proueniens me recreat. Surgendum itaque & properandum, vt magis proficias.

Cogitemus nobis hæc quotidie à Sponſo cæleſti dici, & excitemur ad ardorem redamandi eum, qui prior dilexit nos: atque ita hieme pulſa, ver primùm, deinde æſtatem procuremus in corde noſtro, vt in terra cordis noſtri per bonam cæleſtis agricolæ culturam flores appareant, antequam tempus putationis adueniat. Vox turturis audiatur, non tam gementis ob laborem, quàm propter laboris imperfectionem; propter corpus quod corrumpitur & animam aggrauat, vnde & ipſi vanitati ſumus ſubiecti non volentes. Ficus noſtra proferat groſſos in acerbitate pœnitentiæ, Sponſum delectans; qui gaudet, non quia contriſtamur, ſed quia contriſtamur ad pœnitentiam, cùm & vinea noſtra florebit, & candidatos nos faciet habentes bonam conſcientiæ interrogationem conſolationis æternæ, in qua inebriabimur ab vbertate domus Dei.

Poſſumus etiam non incommodè cum D. Thoma hîc dicere, Chriſtum Dominum per hæc verba, SVRGE, &c. Sponſam ſuam hortari ad labores pro lucrandis animabus;

&

pro ratione, quare iam id opportunum ſit,
lducere diſpoſitionem earum, in quibus
m hiems infidelitatis tranſierit, & imber
ffluentis in omnem partem intemperantiæ
ſſauerit: item allegare, flores in animarum
crandarum aruis iam apparuiſſe, hoc eſt,
tia bonorum operum. Tempus putatio-
potest intelligi, tempus diſcernendi eos
lmites, qui ſpem fructus per gemmas fa-
int, ab inutilibus palmitibus; ita vt hoc
nſentaneum ſit ad præcedentia: tum enim
cerni poſſunt à bonis mali, quando per
ni operis gemmas boni internoſcuntur.
rrò verba illa, VOX TVRTVRIS AV-
TA EST IN TERRA NOSTRA, ita
ipit diuus Thomas, vt eis promittatur au-
um Spiritus ſancti, qui in vinea Domini
orabunt. Illis autem, FICVS PROTVLIT
OSSOS SVOS, dicit promitti auxilium ex
te Iudæorum, non quidem omnino ma-
tate perfectum, ſed aliquouſq; paratum.
denique verbis, VINEÆ FLORENTES DE-
RVNT ODOREM SVVM, ſignificatum vult
ilium quod Eccleſia in ſuis filiis promo-
dis acceptura erat ex gentibus conuer-
ex quibus prodituri erant qui longè la-
ie bonus odor Chriſti eſſent.
ęc quidē ex mente S. Thomæ. Si quis au-
aliquouſq; ea velit conciliare cum priori

interpretatione, dicat hiemis & imbris cessationem, florum apparitionē, palmitum purgationem, vocem turturis, grossos & odorem florētium vinearum, in Sponsa intelligi posse, quando in membris Ecclesiæ sunt quæ partim in fide & moribus perficiuntur, partim flore nascentis virtutis fructus promittunt, & gemmis vuarum vbertatem: partim gemunt pro aliis conuertendis; quod & Spiritui tribui potest, qui fideles gemere facit gemitibus inenarrabilibus: partim quasi ex ficu Iudaica grossos producunt, partim ex diuersitate Ecclesiarum ex Gentibus ad viuificandas animas bonum odorem diffundunt, quasi pluribus florentibus vineis odorem suum simul spirantibus.

SECTIO X.

Profectus Sponsæ.

CAP. 2. *versu* 13. 14. 15. 16. 17.

13 SVrge, amica mea, speciosa mea, &
veni: 14 columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, ostende mihi faciem tuam: sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, &
facies tua decora. 15 Capite nobis vulpes
paruulas, quę demoliuntur vineas: nam

vinea

vinea noſtra floruit. 16 Dilectus meus
mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia,
17 donec aſpiret dies, & inclinentur vm-
bræ. Reuertere: ſimilis eſto, dilecte mi,
capreæ, hinnuloque ceruorum ſuper
montes Bethel.

SVRGE, AMICA MEA, SPECIOSA MEA, ET VENI.] Ad familiaritatem Reginâ dignam Sulamitidem vocat Rex. Non iam, inquit, dicam te ancillam, hoſpitam, aut peregrinam; ſed amicam & ſpecioſam: in Reginam te aſſumam, quæ ſpecie excellis concubinas. Itaque vt digna ſis ea promotione, SVRGE, ET VENI. SVRGE à meditatione imperfectioris ſtatus, & ad me VENI inſtruenda ſublimiùs. VENI, inquam, COLVMBA MEA, & quietis cauſa abſcondere IN FORAMINIBVS PETRÆ; in meditatione exceſſus mei quem in Ieruſalem compleo. IN CAVERNA MACERIÆ, meditando rupturam maceriæ: qua dirupta, vniui peccatores Deo, & iunxi Iudæos cum Eccleſia mea, vnicoque meo ouili. Nam & velum templi ſciſſum eſt medium in Paſſione mea.

XIII.

XIV.

OSTENDE MIHI FACIEM TVAM.] Ad familiaritatem Reginâ dignam Rex Sponſam

inuitat, cupidus videndi faciem eius decoram, Sanguine ſuo lotam & decoratam.

SONET VOX TVA IN AVRIBVS MEIS.] Vox, inquam, illa dulcis, qua plurimùm delector; vt familiari conuerſatione poſſimus dare & reddere voces. Et tu quidem reuelabis mihi deſideria & petitionem tuam, & ego tibi dabo petitiones cordis tui. Reuela mihi viam
Pſal. 36. tuam, & ſpera in me, & faciam.

Si de voce prædicationis accipere velimus, etiam illa ſuauiter ſonat in auribus Sponſi, cuius miniſterium eſt verbi prædicatio. Docemur autem vocem Eccleſiæ dulcem eſſe & ſuauem, quia inuitat ad ſuſcipiendum iugum Domini ſuaue; idque ſuauiter, verbo, non verbere, non gladio Gentibus ac Iudęis fidem ingerens: non in tonitruo timoris terrens, ſed ad ſpiritum adoptiuorum filiorum ſuauiter alliciens.

XV. CAPITE NOBIS VVLPES PARVVLAS, QVÆ DEMOLIVNTVR VINEAS: NAM VINEA NOSTRA FLORVIT.] Vox eſt Sponſi ad Sponſæ ſodales, quaſi vigilantis pro Sponſa, ne vinea eius curæ commiſſa, dum tenerrima eſt, hoc eſt, dum floret, detrimentum patiatur. Patiatur, inquam, à vulpeculis paruulis: quæ licet paruæ, tamen multæ ſunt, & plurimùm vineis incommodant eo tempore quo florent, per foueas ſuas radicibus nocendo, per ſaltus

ſaltus ſuos florem diſſipando naſcẽtem, corticis ſuccum exſugendo, & botros vaſtando. Vulpes falſos Prophetas eſſe, habemus Ezechielis cap. 13. *Quaſi vulpes in deſertis, prophetæ tui Iſrael erant.* Cùm dormiunt homines qui vineam Domini cuſtodiunt, inuadunt eam vulpeculæ, hoc eſt, hæreſes: quæ initio quidem paruulæ videntur, ſed aſtutia ſua proficientes immenſæ euadunt, & ex vna multæ generantur. Itaque initio extinguendæ ſunt, dum adhuc igniculus eſt in cineribus. Sic Lutherus erat opprimendus, quando teneros vineæ palmites de Indulgentiis tentare cœpit. Paruula tunc adhuc erat vulpes: ſed quia vulpes erat, & capta non fuit; demolita eſt vineam, vt hodie cernere licet. Vbi etiam hoc obſerua, Eccleſiam laudatam à vocis ſuæ dulcedine in prædicatione fidei, iuberi à Domino rigore vti contra vulpes iſtas, eaſque exterminare, quæ non omnino foris & extra vineam ſunt, vt Iudæi & Pagani, ſed inter fideles quaſi in foueis vineæ latitant.

Capiuntur hæretici, quando egregiè (quod viris doctis facile eſt) refutantur. Monent veteres, quia ſolent vulpes habere ſubterraneas foueas ex vtraque parte exitum habentes, dilemmatis eſſe vrgendos hæreticos, vt vtrimque fouearum exitus obſtruantur: ſic-

ut Christus Dominus Iudæos pressit interrogando, *Baptismus Ioannis vnde erat? de cælo, an ex hominibus?* Vide Aug. in Psal. 80.

Variatio numeri hoc mysterij habet, quòd vineæ sint particulares Ecclesiæ, vinea verò sit Ecclesia vniuersalis quæ constat multis particularibus, vt benè Haymo: quamuis hoc sugillet quidam, eò quòd in Hebræo sit *Vineæ nostræ floruerunt*. Particularibus Ecclesiis magis insidiantur hæretici, quia in illis inueniunt infirmiores. Quò spectat, quòd nonnulli veterum legunt hunc versum sic, vt *paruulas* cum *vineis* construant; quasi dictum sit, *Capite nobis vulpes quæ demoliuntur paruulas vineas*. At melior est constructio nostræ Versionis, quæ *paruulas* coniungit cum *vulpibus*: nam & Hebræa habent, *Capite nobis vulpes, vulpes paruulas.*

Sunt qui per vulpes intelligant malos Christianos: quos capi dicunt, quando notantur & obseruantur secundum monitum Apostoli ad Rom. 16. *Rogo autem vos fratres, vt obseruetis eos, qui dissensiones, & offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab illis*. At meliùs alij non quosuis malos, sed qui sub specie recti proximum decipere volunt. quod etiam D. Bernardo placuit. Verùm omnium optimè dicunt qui hæreticos accipiunt, vt Beda

Beda & Theodoretus. Vt enim vulpes semper dolosè agit, ita & hæretici: vt rarò aut numquam perfectè vulpes mansuescunt, ita nec hæretici facilè conuertuntur: vt in foueis latitant vulpes, ita hæretici semper declinant ciuitatem supra montem positam, & in foueis tenebrarum suarum latitare amant; vt, dum non intelliguntur, Catholicos decipiant. Vt vulpes, cùm tantùm ganniant, canum latratus imitantur: ita hæretici, cùm nihil sint minùs, videri volunt pastores gregis Dominici: quod etiam in nostri sæculi Prædicantibus hæreticis videmus. Vt vulpes gallinis earumque pullis insidiantur; ita quos Christus tamquam gallina congregat, insidiosi hæretici dissipant; & dum sibi incorporant, vorant. Vt vulpes maximè nocent tenerioribus vitibus, earumque partibus, gemmis, nascentibusque floribus, suis insultibus & arrosionibus; ita hæretici maximè insidiantur & nocent Catholicis infirmis & pusillis, non autem perfectioribus: de quibus scriptum est, *Et non est illis scandalum*. Consule Origenem Hom.4.

DILECTVS MEVS MIHI, ET EGO ILLI, QVI XVI.
PASCITVR INTER LILIA, DONEC ASPIRET XVII.
DIES, ET INCLINENTVR VMBRÆ.] Dixerat Dilectus, CAPITE NOBIS, quasi communem vineam curans. Nunc Sponsa vicem reddens,

dens, ipsum suũ & se ipsius esse clamat, vt per communicationem idiomatum habeant inter se officia & curas communia. Et quidem Sponsus inter lilia pascit,& pascitur, casta pectora in quibus delicietur quærit: imò numquam istud coniugium inire voluit, nisi in castissimum Virginis vterum, tamquam in liligerum pascuum, delapsus. Casta inquam pectora, & in primis Sponsam suam, quæ est lilium conuallium, semper colit iste cælestis Sponsus, futurus cum Sponsa sua vsque ad consummationem sæculi: quando dies iste æternitatis numquam habiturus occasum orietur, quando tenebræ non obscurabuntur,& inclinabuntur vmbræ, quia nox sicut dies illuminabitur.

Ceterùm quia in hac vita nox diei succedit, contingit non semper Sulamitidem habere solatia sui Sponsi, eiusque absentiâ eclipsim aliquam pati. Rogat itaque, vt instar celerrimorum animantium pernicitate beatitudinis suæ redeat, subitoque irradiet suspirans Dilectæ suæ cor: atque etiam concauitates altiorum & erectiorum in Ecclesia mentium visitet,& illuminet participemque sui faciat Dilectam.

PARS SECVNDA.

De ſtatu Sulamitidis, prout in contemplatiuis ſibi ſoli vacat, ad pedes Domini cum Maria ſedens.

SECTIO I.

Proponuntur difficultates quæ occurrunt in aggreſſu contemplatiuæ vitæ, & à Sponſa ſuperantur.

CAP. 3. *verſ.* 1. 2. 3. 4. 5.

1 IN lectulo meo per noctes quæſiui
quem diligit anima mea: quæſiui
illum, & non inueni. 2 Surgam, & cir-
cuibo ciuitatem: per vicos & plateas
quæram quem diligit anima mea: quæ-
ſiui illum, & non inueni. 3 Inuenerunt
me vigiles, qui cuſtodiunt ciuitatem:
Num quem diligit anima mea, vidi-
ſtis? 4 Paululum cùm pertranſiſſem
eos, inueni quem diligit anima mea:
tenui eum; nec dimittam donec intro-
ducam

ducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.[5] Adiuro vos filiæ Ieruſalem, per capreas ceruoſque camporum, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit.

I. IN LECTVLO MEO.] Contemplatiuam vitam affectantes initio caueant, ne nimiùm ſeſe otio dedant. Quærentes enim Dilectum in lectulo, non inueniunt; hoc eſt, quærentes in nimio otio: non enim inuenitur in terra ſuauiter viuentium. Quot Clericos otio ſibi conceſſo vidimus aliò defluxiſſe?

Alius eſt error, quòd PER NOCTES, hoc eſt, per tenebras & in tenebris quęrãt Dilectum, qui lux eſt & dies, quem tenebræ non comprehenderunt. Et ſanè, hoc ipſo eſt in tenebris erroris, qui in otio Chriſtum quærit, exiſtimans ſatis eſſe otiari, & otiosè quærere.

II. SVRGAM, ET CIRCVIBO CIVITATEM.] Tertius error eſt, velle inuenire Sponſum circumeundo, & eum quærendo in vicis & plateis. Ad alterum extremum declinat Sulamitis, fruſtrata in lectulo, & in tenebris: putat ſe, quod in quiete non inuenerat, circumcurſando inuenturam. Qui Deum quęrit,

rit, non se implicet foro, non se implicet rebus sæcularibus. Dilectus iste non est circumforaneus.

INVENERVNT ME VIGILES, QVI CVSTODIVNT CIVITATEM.] Non inuenit ipsa vigiles, quos non quærebat; sed in ipsos suo bono incidit. Ij vel Angeli sunt, vt Theodoretus vult, qui Danielis 4. vocantur vigiles; vel Pastores, vel veritatis præcones: à quibus si nihil speraret, non diceret Sponsa: NVM QVEM DILIGIT ANIMA MEA, VIDISTIS? Si nihil didicisset, non euenisset ipsi quod subiecit: PAVLVLVM CVM PERTRANSISSEM EOS, INVENI QVEM DILIGIT ANIMA MEA. III.

IV.

Sunt qui vigiles istos interpretentur hæreticos, & allegant illud Isaiæ 29. *Succisi sunt omnes qui vigilabant super iniquitatem.* Sed quod diximus, est receptius & verius. Libenter tamen fateor, eos qui suo fidentes ingenio Dilectum quęrunt in Scripturis sacris, facilè incidere in hæreticos, qui semper crepant Scripturas, quasi sub ipsorum axillis solis eæ custodiantur. Quos si Sponsa interrogauerit, NVM QVEM DILIGIT ANIMA MEA, VIDISTIS? respondere immundi non poterunt se eum vidisse, quem non nisi mundo corde vident.

Ex iis qui vigiles in malam partem accipiunt, quidam exponunt hæc verba de Ec-

cle-

clesia primitiua male excepta à Principibus Sacerdotum, qui custodiebant Synagogam tamquam Dei ciuitatem, quando in plateis Iudæorum quæsiuit Christum, aut quando in Scripturis eorum quæsiuit Iesum: cùm enim eas percurrisset, inuenit Messiam prædictum in Lege & Prophetis. Sanctus Thomas per vigiles intelligit vanas cogitationes, quæ facilè eos inueniunt qui discurrunt; nam ita paratæ sunt ad nos capiendos, quasi in hoc excubarent. Sed relinquendæ sunt, quia in eis non inuenitur Christus. Nannius putat indicari, animam nec apud se per philosophiæ theoriam, nec discurrendo per mundi machinam, nec sciscitando mundi circitores, inuenire Sponsum; sed tunc solùm, quando sponte sua gratia occurrit. Osorius putat esse querelam Ecclesiæ, cui passim ab omnibus contradictum est, vt habemus Actorum cap. vltimo, & quæ etiam per supplicia grauia vbique fuit impedita, quò minus Christum annuntiaret, à vindicibus & custodibus Reip. & patriæ Religionis. Verùm longè communior & probabilior est eorum interpretatio, qui per vigiles istos bonos Præfectos accipiunt, siue præcones veritatis, vt Philo, Beda, Haymo, Anselmus, Bernardus, Thomas Cisterciensis, Iansonius.

Pulchrè

Pulchrè autem explicat Bernardus, quòd non nisi præuenta inuenerit Sponsa Sponsum. Præuenta est, quando per vigiles inuenta, & diuina excitante & cooperante gratia ad fidem erudita. Præcedit enim humana instructio, quæ frustrà est, nisi Deus intùs doceat quomodo inueniendus sit Christus.

Qui ergo contemplatiuæ vitæ altitudinem petunt, benè faciunt eos consulendo QVI CVSTODIVNT CIVITATEM, & quibus animarum suarum cura commissa est. At rursus benè faciunt ipsi animarum directores, verbo breui instruendo illos, & à se dimittendo ad Sponsum. Se enim prædicant, non Christum, qui nimiùm sibi adhærere volunt, & à se dependere animas spiritualem fructum quærentes. Crede mihi, non inuenient Christum, nisi postquam paululum transierint istos Doctores. Anima enim humana tam nobilis est, vt non sit ei benè, nisi ipsi Deo vniatur: propterea etiam nullius visione satiatur nisi solius Dei.

TENVI EVM, NEC DIMITTAM DONEC INTRODVCAM ILLVM IN DOMVM MATRIS MEÆ, ET IN CVBICVLVM GENITRICIS MEÆ] Quasi dicat: Ei inhærebo toto amplexu, & non quiescam, donec introducam Christum in Synagogam, quæ matris meæ domus & cubile est. Quia Sulamitis nostra, id est Ec-

clesia Christi, ex Iudæis orta est; in quorum cor & cubile, ante finem mundi, prædicatione Sponsæ Christus inducetur. Dicit ergo in finem vsque mundi se Sponso adhæsuram.

V. Adivro vos filiæ Iervsalem, &c.] Delectatus hisce Sponsæ suæ ardoribus Sponsus, ei quæsitam diu in sui amplexibus quietem indulgens, vetat cum adiuratione filiabus Ierusalem, ne suscitent eam, aut euigilare faciant, donec ipsa velit.

SECTIO II.

Filiæ Ierusalem laudant Sponsam deuota contemplatione Regi contoralem.

Cap. 3. *versu* 6.7.8.9.10.11.

6 Qvæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij? 7 En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel: 8 omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi: vniuscuiusque ensis super femur suum, propter timores nocturnos. 9 Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani:

ni: [10] columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum: media charitate conſtrauit propter filias Ieruſalem. [11] Egredimini & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater ſua, in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.

QVÆ EST ISTA, QVÆ ASCENDIT PER VI.
DESERTVM.] Adoleſcentulæ admirabundæ Sulamitidem iam progreſſum magnum in vita ſpirituali aſſecutam, eoq; mirè auctam interiori mentis forma, laudant, quòd aſcendat SICVT VIRGVLA FVMI ſuſcitati EX ardentibus AROMATIBVS MYRRHÆ, ET THVRIS, ET VNIVERSI PVLVERIS PIGMENTARII. Vident enim orationem eius, vt fumum de huius ſęculi deſerto ad cælum aſcēdere, ex meditatione Sponſi ſui accenſam, tamquam EX AROMATIBVS MYRRHÆ, ET THVRIS, ET VNIVERSI PVLVERIS PIGMENTARII. Accenſam, inquam, ex meditatione humanæ naturæ, & Paſſionis Chriſti per myrrhæ amaritudinem ſignificatæ, & Diuinitatis notatæ per thus, quod Deo offerri ſolet; & VNIVERSI PVLVERIS PIGMENTARII, hoc eſt, vniuerſarum Chriſti

virtutum, exemplorum, & beneficiorum sibi indignæ præstitorum. Vnde & meritò fumus iste ei lacrymas compunctionis excutit.

VII. EN LECTVLVM SALOMONIS SEXAGINTA FORTES AMBIVNT EX FORTISSIMIS ISRAEL.] Diximus suprà, LECTVLVM esse Ecclesiam. Eius custodes sunt fideles perfectiores, qui in lege Domini meditantes die ac nocte, suis orationibus eam custodiunt: suntque ij EX FORTISSIMIS ISRAEL, quia in cognitione Dei Patris, & Filij, quem misit vnctum Spiritu sancto Iesum Christum, excellunt; adeoque fortes sunt in fide, & meritò circumeunt contra inimicum qui circuit quęrens quem deuoret. Sunt SEXAGINTA ad numerum Reginarum, quibus honor coniugalis in accessu cubilis & Regio contubernio debetur. Anselmus satis conuenit nobiscum; sed dicit SEXAGINTA dici, quia perfecti sũt in decem pręceptis; FORTES, quia humiles & potentes resistere diabolo & reliquis aduersariis. Beda ita explicat, vt significetur per senarium laborũ perueniri ad denarium mercedis æternæ. Philo etiam in hoc consentit, quòd Lectulus Ecclesia sit; in qua, tamquam in lectulo, postquam omnia pacificauit per Passionem suam in cælo & in terra, caput suum reclinat, qui priùs non inueniebat vbi suum caput reclinaret. Per SEXAGINTA FORTES

TES

TES intelligit Apoſtolos,& Apoſtolicos viros, Martyres & Prophetas; qui ſexaginta numerantur, quia per ſex huius vitæ laborioſos dies Decalogum cuſtodiunt,&ab aliis adeoque ab Eccleſia cuſtodiri ſuâ vigilantiâ curant.

Eſt alia explicatio; per SEXAGINTA FORTES, qui dicuntur ambire lectulũ Salomonis, non aliud ſignificari, quàm multos eiuſmodi ex Dei cognitoribus Deumque videntibus eſſe conſtitutos, qui Eccleſiam in obſeruatione mandatorum Dei cuſtodiant, & verbum Dei ſemper in promptu habeant ad omnem peruerſam doctrinam, quæ eſt negotium perambulans in tenebris, amputandam: vt ſic impleatur quod Apoſtolus dicit, *Deſpondi enim vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto*. impleatur, inquam, quoad doctrinam Chriſtianæ legis, ne verbum Dei adulteretur. Verùm iſta explicatio omittit mortificationem, quam exerceant hi fortes in ſe,& in aliis promoueant: idcircò eis arridet, qui ſolum infidelitatis peccatum dicunt eſſe mortale. Ideoque nec enſem ſuper femur habent, vt in textu additur, nec lectuli huius floridi & virginei idonei ſunt cuſtodes. Exhibeant ſe caſtos, antequam vſurpent Apoſtolicam gloriam, ore profano dicentes: *Aemulor vos Dei æmulatione: deſpondi enim*

 nim

nim vos vni viro, virginem castam exhibere Christo.

VIII. AMBIVNT peruigiles ad custodiam; OMNES TENENTES GLADIOS. Meditantur in verbis Domini. Est autem verbum Dei gladius Spiritus, Ephes. 6. ET AD BELLA DOCTISSIMI. Edocti nimirum ab illo cui Dauid canebat: *Qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum*. Talis erat S. Antonius, qui suos docebat quomodo esset cum diabolo pugnandum.

VNIVSCVIVSQVE ENSIS SVPER FEMVR SVVM PROPTER TIMORES NOCTVRNOS.] Sensus est: Timent à mandatis & verbo Dei, & Deo dicunt: *Confige timore tuo carnes meas*. Timore ergo stant muniti contra carnis tentationes; quomodo Prou. 23. dicitur: *Statue cultrum in gutture tuo*. PROPTER TIMORES NOCTVRNOS, vt sibi & aliis auertant ea mala quæ noctu contingere solent: Ita & Dei cliens in Psal. 90. tutus futurus dicitur à timore nocturno, scuto veritatis inexpugnabilis protectus. Benè monet Anselmus, Pastores debere esse ex istis fortibus, & non tantùm sibi interiùs habere diuinam scientiam, sed debere exteriùs eam prædicando efferre, & sibi prospicere, vt ensem verbi mortificationis quod aliis prædicant, semper super propria carne & femore habeant PRO-

PTER

PTER TIMORES NOCTVRNOS, id eſt, occultas diaboli incurſiones & ſuggeſtiones. Benè hîc Venerabilis Beda: *Si fortiſsimi ex Iſrael, in quibus dolus non eſt, qui ad bella ſunt doctiſsimi, enſem ſuper femur habent propter timores nocturnos; quid mihi meiq́ ſimilibus agendum eſt? quanto in timore Domino ſeruiendum, qui & minùs docti ad ſpiritale certamen, & ad perficienda quæ dicimus minùs fortes exiſtimus?* Adeò autem Beda vrget hanc particulam, vt ideò reiiciat eorum ſenſum, qui per hos fortiſſimos ex filiis Iſrael Angelos Eccleſiæ cuſtodes intelligunt, quòd ij nō habeant enſem ſuper femur ſuum, vtpote expertes carnalis illecebræ quam enſe continentiæ ſtringant.

FERCVLVM FECIT SIBI REX SALOMON.] Torus laudatus eſt: nunc laudatur rheda, ſiue lectica portatilis quam homines portare ſolent; in eaque Rex Salomon ſedet quaſi triumphans. Significatur hoc ferculo Eccleſia triumphans, quia Chriſtus veſtitur & ornatur Sanctis ſuis. Hanc gloriam contēplantur, & ad eam votis ſuis aſpirant, qui dedunt ſe meditationibus. Ideoque hîc nulla mentio armatorum: quia de militante Eccleſia, per vigiles & excubitores cuſtodita contra timores nocturnos, iam dictum ſatis. Eſt autem FERCVLVM iſtud DE LIGNIS LIBANI, de cedrinis & imputribilibus; quia in trium- IX.

phanti Ecclesia mors non erit ampliùs.

X. COLVMNAS EIVS FECIT ARGENTEAS.] Nititur totum ferculum columnis: ita visione clara Dei, beatitudo. Sunt autem argenteæ istæ columnæ, propter candorem: quando enim Dominus Ecclesiæ triumphanti apparet, vestimenta eius, hoc est, Sancti, sunt candidi sicut nix. Eloquia Domini, reuelata mysteria, argentum sunt. Si reuelatum Dei verbum in ænigmate & ad lucernam argentum est, quantò magis in sole claræ visionis, adeoque ipsa facie ad faciem visione Dei, argentum est?

RECLINATORIVM AVREVM.] Fruitio est reclinatorium aureum in hoc ferculo, quia per fruitionem Dei summam votorum suorum habet Ecclesia triumphans, vt meritò reclinatorium istud aureum, hoc est præstantissimi metalli esse dicatur.

ASCENSVM PVRPVREVM.] Quia ad triumphantem Ecclesiam non est ascensus nisi per Sanguinem Christi; ideoque facillimus Martyribus, qui suo etiam sanguine purpurati vident cælum apertum.

MEDIA CHARITATE CONSTRAVIT PROPTER FILIAS IERVSALEM.] Descripto ferculo illo triumphali, in columnis, reclinatorio, & ascensu suo; nunc describit medium eius, seu pauimentum, quod CHARITATE

CON-

CONSTRAVIT Rex PROPTER FILIAS IERVSALEM, quas amat, & à quibus amatur. Neque enim intrabit in ferculum iſtud, niſi quod charitate fulgidum fuerit.

EGREDIMINI ET VIDETE FILIÆ SION.] XI.
Quaſi dicatur: O filiæ viſionis! nunc eſt ſpectaculum, ad quod etiam vſque ad mentis exceſſum oculos eleuare debetis: VIDETE REGEM SALOMONEM, id eſt, Chriſtum Dominum, IN DIADEMATE gloriæ & honoris, QVO CORONAVIT ILLVM MATER SVA, Virgo Maria, IN DIE DESPONSATIONIS ILLIVS: quādo iudicio extremo peracto ducit Sponſam in aulam ſuam cæleſtem, ſibi eam ſiſtēs, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiuſmodi. IN DIE LÆTITIÆ CORDIS EIVS: quando ſubiiciet ſibi omnia, & ipſe ſubditus erit Patri, qui ſubiecit ei omnia. Deſponſauit autem eum mater ſua, quia per eam carnem aſſumpſit, ſine qua pati & ſpinis coronari non potuit, & ita intrare in gloriam ſuam. Propterea etiam cum gaudio ſuſtinuit crucem, quando Agnus ſine macula pro nobis ſpinis coronatus mortem ſubiit, in quam pro Sponſa ſua ſe tradidit.

Sunt qui diem deſponſationis intelligant diem Paſſionis, coronam in victoria crucis, matrem Synagogam quæ Chriſtum cruci affixit. Ita Anſelmus.

Philo coronam ſpineam intelligit, qua Synagoga (ex qua Dominus erat ſecundùm carnem) ipſum coronauit in Paſſione. Dicit autem, ſecundùm illud Oſee 2. *Sponſabo te mihi in fide*, tunc Chriſtum ſibi Eccleſiam Gentium deſponſaſſe. Beda diem deſponſationis intelligit diem incarnationis, qua ad copulandam ſibi Eccleſiam virginali ex vtero tamquam Sponſus ſuó proceſſit de thalamo: quæ erat dies lætitiæ cordis illius, quia gaudebat de præuiſo fructu ſuæ incarnationis. Cui conforme eſt illud Pſal. 18. *Exultauit vt gigas ad currendam viam.*

SECTIO III.

Laudes Sponſæ Salomon membratim colligens, totam pulchram decantat.

CAP. 4. *verſ.* 1.2.3.4.5.6.7.

1 QVàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es! Oculi tui columbarum, abſque eo, quod intrinſecus latet. Capilli tui ſicut greges caprarum, quæ aſcenderunt de monte Galaad.
2 Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt inter eas.

eas. 3 Sicut vitta coccinea, labia tua : &
eloquium tuum, dulce. Sicut fragmen
mali punici, ita genæ tuæ, abſque eo
quod intrinſecus latet. 4 Sicut turris
Dauid collum tuum, quæ ædificata eſt
cum propugnaculis: mille clypei pen-
dent ex ea, omnis armatura fortium.
5 Duo vbera tua, ſicut duo hinnuli ca-
preæ gemelli, qui paſcuntur in liliis,
6 donec aſpiret dies, & inclinentur vm-
bræ, vadam ad montem myrrhæ, & ad
collem thuris. 7 Tota pulchra es amica
mea, & macula non eſt in te.

QVAM PVLCHRA ES, &c.] Reſumit 1.
Sponſus laudes Sponſæ, eiuſq; pulchritudinem iterata exclamatione miratur. Pulchritudinem, inquam, quam in vita contemplatiua quaſi in ſpiritualibus deliciis aliquamdiu acta multùm auxerat. Bis autem pulchra, quia interiùs & exteriùs. Sanè pulchritudo quæ intus eſt, præcipuè per contemplationem aucta fuit.

OCVLI TVI COLVMBARVM.] Quaſi dicat: Relucet in externo opere ſimplicitas intentionis tuæ, coniuncta cum magna prudentia: nam & columbini oculi hoc ſerpentinæ prudentiæ

dentiæ habent, quòd vigilantiſſimi ſint in percipiendo accipitre, vt ſuprà notauimus. Vnde etiam libenter verſantur columbæ circa aquas, in quibus facilè aduolantis accipitris vmbroſam mobilitatem aduertant. In oculis, Epiſcopi, aliiq́ue Eccleſiæ Paſtores deſignantur.

ABSQVE EO QVOD INTRINSECVS LATET.] Quaſi dicat: Vt taceam ſimplicitatem cordis,& prudentiam interiorem, quæ ineffabilis eſt,& ideò ſilentio veneranda. Ponitur idem infrà verſ.3. & Cap.6. verſ.6. Et quiá in oculorum & genarum laude tantùm hoc reperitur, non placet eorum interpretatio,qui hoc accipiunt de eo quod in corpore tectum eſt: vti neq; illorum, qui tam ad corporis quàm ad animi occulta id referunt; vt Sottomaior. Sunt qui de oculis hoc iſto loco dictum exiſtiment aliquouſque latitantibus ſub cincinnis capitis Sponſæ. Quod etiam genis poteſt accommodari. Ita Oſorius.

CAPILLI TVI SICVT GREGES CAPRARVM,QVÆ ASCENDERVNT DE MONTE GALAAD.] Capilli greges fidelium ſunt, qui Chriſtum caput ſuum ornant, à quo orti ſunt,& aſcenderunt. Ponuntur autem poſt oculos,quia feminis pro velamine etiam in faciem defluunt,& oculis cancellos faciunt. Ipſum caput eſt mons Galaad, id eſt, teſtimonij,

monij, quia ipſe Chriſtus eſt caput Martyrum, omniumque verum Dei cultum profitentium. Mons Galaad nutriendis capris aptus erat: ita qui de Chriſto pendēt, paſcua inueniunt. Pectine perſecutionis fideles probantur; & non bene fundamentum, quod ſolus Chriſtus eſt, tenentes, decidunt, & circumferuntur omni vento doctrinæ. Nec tamen ideò caput noſtrum calueſcit: quia alij ſuccreſcunt crines, cum capite ſuo perſeueraturi, & excepturi coronam eorum qui deciderunt. Decidui ſunt omnes hæretici, qui montem Galaad deſerunt, à teſtimonio Dei deflectentes. Similes autem hîc accipere debemus fideles (qui capilli ſunt Sponſi) capris in crinibus ſuis, qui in Exodo cap. 25. & alibi ſæpè, idonei reputantur tabernaculo Dei, hoc eſt, Eccleſiæ ædificio extruendo.

DENTES TVI SICVT GREGES TONSARVM.] 11.
Dentes rectè concionatores intelligimus, qui Eccleſiæ incorporant eos, quos per prædicationem verbi conuertunt. Dentibus enim fit iſta manducatio, de qua Petro eſt dictum: *Surge & manduca*. Hi dentes Eccleſiæ debent eſſe SICVT GREGES TONSARVM: hoc eſt, auidi ad conuertendas animas. Dicunt tonſas oues magis eſſe famelicas, quàm ſint intonſæ. Debent etiam eſſe contemptores ſuperfluarum rerum huius mundi, potiùs

ſua

ſua largientes, quàm aliena concupiſcentes. Debent eſſe valdè inter ſe concordes,&quaſi vnum inter ſe corpus efficere: quomodo tonſæ oues,frigoris vitandi cauſa,magis inter ſe coniunguntur, vt grex totus vnum corpus eſſe videatur. Debent etiam eſſe valdè puræ vitæ,vt non tantùm verbo, ſed etiam exemplo infideles conuertant. Propterea additur,

QVÆ ASCENDERVNT DE LAVACRO.] Vt recens ſemper in ipſis reluceat candor ille veſtis innocentiæ in Baptiſmo acceptæ. Debent eſſe fecundi,vt gratia Dei in ipſis vacua non ſit, ſed per aduerſa & proſpera ſemper fructum adferant; ſemperque ita ſint fecundi, vt STERILIS omnino non ſit inter eos. Ideoque à Domino laudandi,& in gaudium eius aſſumendi, quòd talentorum lucrum apportantes, veniant cum exultatione portantes manipulos ſuos.

III. SICVT VITTA COCCINEA, LABIA TVA: ET ELOQVIVM TVVM, DVLCE.] Sicut per dentes,concionatores,qui infidelium conuerſioni vacant,intelliguntur; ita per vittam coccineam intelligi poſſunt concionatores, qui ipſos fideles inſtruunt, & ad profectum pietatis exemplo Chriſti mouent. Continent enim capillos,hoc eſt, fideles, tamquam vitta quædam, in officio, ne diffluant obiecto coccineo colore Sanguinis Chriſti, nimirum,

rum,ne pereat frater pro quo Christus mortuus est. Dum hoc præstant, dulce est eloquium ipsorum: quia licet acerbos Christi dolores in vitta coccinea prædicent; dulcia tamen sunt eiusmodi eloquia nobis, qui eius liuore sanati sumus. Sanè in ore prædicantis dulce est volumen, etiamsi in ventre sit amarum. Ezech. 3. Apocal. 10.

SICVT FRAGMEN MALI PVNICI, ITA GENÆ TVÆ.] Mali punici in duas diuisi partes verecundum ruborem, & simul venustatem genarum exhibent. Crediderim genis virgines & continentes significari: in genis enim est sedes pudoris & verecundiæ. Malorum punicorum cortice indicatur, virginibus & continentibus opus esse austeriore vita, qua in vigore suo castitatis succulentia contineatur. Durus enim cortex mali punici, granorum dulcedinem macie & duritie sua continet.

ABSQVE EO QVOD INTRINSECVS LATET.] Indicatur, virginitatem non satis exprimi hoc fragmento mali punici, & genarum similitudine, cùm ea virtus maximè in corde lateat; mentisque virginitas, quæ leuiter solùm verecundiâ malarum proditur, longè maior portio sit huius virtutis. Et sanè in dimidiato malo punico, intus in cellulis longè maior numerus granorum ipsa sua abscon-

abſconſione & latebra conſeruatur.

IV. SICVT TVRRIS DAVID, COLLVM TVVM.] Collum in corpore myſtico Eccleſiæ, non malè intelligimus Apoſtolicam auctoritatem. Per ipſam enim corpus Eccleſiæ coniungitur ſuo capiti, ſicut per collum capiti nectitur reliquum corpus. Reſedit illa in Apoſtolis, nunc reſidet in Apoſtolica Sede Romana. Illa eſt ſicut turris Dauid: quia turris Dauid eminentis erat altitudinis, & Apoſtolica ceteris eminentior eſt auctoritas. Erat ſpecula contra hoſtes, vt & Apoſtolici culmen officij. Erat TVRRIS iſta ÆDIFICATA CVM PROPVGNACVLIS: contra portas inferi munita eſt in petra ædificata Eccleſia per Angelorum cuſtodiam, per viros doctos quos prima Sedes aſſumit, qui contra ſectas murum ſe pro domo Dei opponunt.

MILLE CLYPEI PENDENT EX EA.] Quia cùm in ea ſit depoſitorium omnium ſacrarum traditionum, cumque ſit confirmata in fide, qua diabolo & poteſtati tenebrarum reſiſtitur; in promptu ei ſemper eſt omnem aduerſarium fidei debellare: quia in promptu ſemper habet omnem armaturam fortium. Tela & clypei ſuperſunt, quibus olim proſtrati ſunt veritatis hoſtes. Tantaque hoc collum eminentia claret, vt ſub capite Chriſto, miniſteriale caput ſit Eccleſiæ. Quod ipſum

ipſum quidem influxu capitis, hoc eſt, Chriſti Domini indiget: ſed vt ſeruus fidelis tranſmittit toti corpori familiæ Chriſti cibum in tempore, ſicut per collum alimenta toti corpori tranſmittuntur.

DVO VBERA TVA, SICVT DVO HINNVLI CAPREÆ GEMELLI.] VBERA doctrinam, & eam in Eccleſia proponentes, ſiue Doctores, aptè intelligimus. In vberibus enim in primis lac eſt conſiderandum, quod Apoſtolus ad Hebræos cap. 5. comparat doctrinæ. Vbera ergo Doctores, doctrina lac. Secundò, ſunt vbera gemina, propter geminam charitatem, Dei & proximi: ob quam etiam binos ſuos diſcipulos miſit ad prædicandum. Debet enim Doctor magnæ charitatis eſſe erga Deum, cuius ouile paſcit; & erga proximum, quem Chriſto parturit. Eſt etiam in Chriſtiana doctrina vtrumq; Teſtamentum, vetus & nouum, tamquam gemina vbera ſimul nata: quia vniuerſa Lex, tam vetus quã noua, continetur in antiquo mandato dilectionis; nihilque ex antiquo Teſtamento quod antiquatum ſit Doctor Euangelicus docet. Dvo ergo VBERA, duo Teſtamenta dici etiam poſſunt. Sunt qui contemplationem & praxim DVO VBERA faciant; quibus non repugno: debet enim Doctor attendere ſibiipſi & ſermoni: ſibi, per meditationem; V.

ſermoni, promendo exteriùs proximo, quæ apud ſemetipſum in cordis meditatione præparauit. Beda in cap. 7. Canticorum: *Vbera Eccleſiæ ſunt illi, qui paruulos eius, hoc eſt, nuper in fide renatos, inſtituunt. Quæ benè cum additamento duo eſſe memorantur: quia ex duobus nimirum populis, Iudæorum ſcilicet & Gentium, fons ſalutaris, quos abluit & cæleſti myſterio parit, colligit.* Pulchritudo vberum, ſimilitudine geminorum hinnulorum capreæ exprimitur. Hinnulis ipſis ſiue eorum capitibus ſimilia ſunt Sulamitidis vbera, quia Doctorum conuerſatio debet eſſe cæleſtis: cæleſtes autem ciues capreis tamquam montium incolis comparantur. Hinnuli blandi ſunt: ita & doctrinam blandè & ſuauiter oportet proponant Euangelij præcones.

Comparantur Doctores hinnulis QVI PASCVNTVR IN LILIIS: quia debent ſemetipſos cuſtodire in omni caſtitate, & lacteo virginitatis candore florere.

VI. DONEC ASPIRET DIES, ET INCLINENTVR VMBRÆ.] Hoc eſt, quamdiu dies noctesq́ue ſibi mutuò ſuccedunt. Eccleſia enim manet vſque ad conſummationem ſæculi. Hic interualla ſunt tenebrarum & lucis, turbationis & conſolationis: neque enim Sponſus ſemper viſitat Sponſam ſuam dulci illo interiori mentis alloquio, ſed aliquando fugit ad mon-

montes. Vnde etiam nunc ſubiungit:

VADAM AD MONTEM MYRRHÆ, ET AD COLLEM THVRIS.] Sponſam ergo inuitat, vt ſecum inuitata vadat ad MONTEM MYRRHÆ, hoc eſt, ſe conuertat ad mortificationis ſtudium; ET COLLEM THVRIS, ad orationis collem, non montem, quia in ſpiritu contrito & humiliato orandus eſt, qui cor contritum & humiliatum non deſpicit. Vbi aduerto, mortificationis ſtudium mõti, orationem colli comparari: quamuis enim oratio ſtata habeat tempora, mortificationis tamen ſtudium debet eſſe perpetuum, & oportet quemq; tollere crucem ſuam quotidie: Luc. cap. 9. Itaque longè extenſior eſt mortificatio, quàm formalis oratio.

Sunt aliæ rationes aliorum, cur mons ſit mortificatio, deuotio ſiue oratio collis. Vna, quòd plures ſint qui mortificatione ſaluentur, quàm qui vitæ contemplatiuæ ac deuotioni ſint dediti. Secunda, quòd mortificatio plus habeat difficultatis quàm oratio, ſicut difficilius eſt montem aſcendere quàm collem. Tertia, quòd in myrrha mortificationis comprehendantur Martyres, qui excedunt Confeſſorum & Virginum meritum orationi vacantium, ſicut mons ſuperat collem.

At quomodo dicitur ipſe Deus ire ad

montem myrrhæ, quaſi mortificandus? Chriſtus paſſus eſt pro nobis, relinquendo nobis exemplum, vt & nos compatiamur: ſuaque inſuper gratia nos præueniens, vadit ad montem myrrhæ, nos ad eum ducens, vt ſequamur veſtigia eius, mortificati carne, viuificati autem ſpiritu.

Iterùm quæres: Quomodo in hoc dramate dulci Sponſus chariſſimam ſuam inuitat ad amaritudinem myrrhæ? Ideò id fit, quia per mortificationis ſtudium Sponſa pulchritudinem ſuam perficit, quod ei eſt delectabile: ideò dicit Apoſtolus ad Epheſ. 5. quòd Chriſtus tradidit ſeipſum vt Eccleſiam ſanctificaret, mundaret, exhiberet glorioſam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſed vt ſit ſancta & immaculata. Tradidit autem ſemetipſum quando iuit in montem myrrhæ. Vadit ergo cum Sponſa ſua in montem myrrhæ, vt eam reddat immaculatam & ſanctam: quod valdè delectabile eſt ſanctæ Sponſæ: quæ niſi Dilectum ſecuta fuiſſet, cùm eam duceret ad montem myrrhæ, non audiret quod ſequitur: TOTA PVLCHRA ES AMICA MEA, ET MACVLA NON EST IN TE. In monte enim myrrhæ licet exteriùs corpus caſtigetur & in ſeruitutem redigatur, interior tamen homo renouatur; & pulchritudo filiæ

Regis,

Regis, quæ ab intus eſt, illuſtratur. Aduerto etiam in myrrha & thure idem myſterium quod in oblatione Magorum. Sponſus enim noſter alibi caput habere dicitur aurum optimum, hîc myrrham habet & thus. In auro charitas Dilecti & diligentis Sponſam eique miſericordiam facientis & eleemoſynam, in myrrha ieiunium & tota corporis afflictio, in thure oratio intelligitur. Eſt ergo Sponſa Chriſti in eleemoſynis, ieiuniis, & orationibus occupata, quando aurum illud charitatis optimum ſui Sponſi amore amplexata, ipſum ſequitur vadentem ad montem myrrhæ & collem thuris.

Addit Sponſus quaſi coronidem ſui encomij: TOTA PVLCHRA ES AMICA MEA, ET MACVLA NON EST IN TE.] Quod tamen accipio pro tempore, quo iam per myrrham & thus, per mortificationem & orationem expiata plenè Sponſo placeat, & ad cæleſtem patriam fuerit aſſumpta: quod fit poſt hanc vitam. Poſſumus nihilominùs locum hunc accipere etiam de Eccleſia militante, quia ſunt quoque aliqui immaculati in via. Hoc itaque ſequendo dicemus, Sponſum in hoc ſuo encomio, in ſingulis Eccleſiæ membris id ſpectaſſe, quod ad Eccleſiam, quà talis eſt, pertinet, quod non eſt niſi pulchrum & immaculatum: tota enim vocatio, & tota hie- VII.

 rarchia,

rarchia, membrorumque ordo ac distinctio, sancta est; ideoque & Sanctam Ecclesiam Catholicam credimus: quamuis enim mali sint in Ecclesia, sunt tamen non quà tales; imò cum quadam particula alienante dicitur malus esse in Ecclesia. Ecclesia enim, quod maculatum est, quotidie studet emaculare. Sane ita consideratæ Ecclesiæ maculæ non insunt, cùm hoc ipso sint quodammodò & quadamtenus extra Ecclesiam quo maculati sunt, vtpote exorbitantes eatenus extra discipulatum Sponsi, quatenus peccat. Potest hoc aduerti in Sponsi capillis, in quibus non considerauit Sponsus defluos & deciduos, sed ascendentes de monte Galaad. In summa, Sponsus totam pulchram & immaculatam inuenit suam Sponsam, quando inuenit Ecclesiam profitentem omnes virtutes, & detestantem omnem maculam omnemque peccati turpitudinem, adeoque non nisi pulchritudinis & integritatis magistram & discipulam, magistram fidelium, discipulam suam, quæ ei dicit, *Ibi me docebis*: infrà Cap. 8.

PARS

PARS TERTIA.

De ſtatu Sponſæ paſcentis animas.

SECTIO I.

Sponſus vocat Sponſam à contemplatione ad curam animarum.

CAP.4. *verſ.* 8.9. 10.11.

8 VEni de Libano Sponſa mea, ve-
ni de Libano, veni: coronabe-
ris de capite Amana, de vertice Sanir &
Hermon, de cubilibus leonum, de mõ-
tibus pardorum. 9 Vulneraſti cor meũ
ſoror mea Sponſa, vulneraſti cor meum
in vno oculorum tuorum, & in vno
crine colli tui. 10 Quàm pulchræ ſunt
mammæ tuæ ſoror mea Sponſa! Pul-
chriora ſunt vbera tua vino, & odor
vnguentorum tuorum ſuper omnia a-
romata. 11 Fauus diſtillans labia tua
Sponſa, mel & lac ſub lingua tua: &
odor veſtimentorum tuorum ſicut o-
dor thuris.

VIII. VENI DE LIBANO SPONSA MEA.] Quaſi dicat: Me ſequens iueras ad collem thuris: orationi vacaſti, per thus ſiue Libanum ſignificatæ. Nunc deſcende, & relicta nonnihil aut interrupta vita contemplatiua, VENI, non cum detrimento, ſed cum augmento coronæ ac meriti tui. VENI, tamquam SPONSA parias mihi filios, & vt Regina & victrix CORONABERIS. Ter vocatur, quia ad tres coronas vel aureolas vocatur: ad aureolam Doctorum, per fidem; ad aureolam Virginum, per ſpem penetrantem ad interiora velaminis; ad aureolam Martyrij, per charitatem, quæ nos docet pro Chriſto mori, & pro fratribus animas ponere. Aureola Doctorum contexetur DE CAPITE ſiue vertice AMANA, quod fidem ſignificat. Aureola Virginum DE HERMON, hoc eſt, de conſecratione venit; quia conſecrant ſe, & carnem ſuam Domino mortificant. Aureola Martyrum venit DE CVBILIBVS LEONVM, hoc eſt tyrannorum, quales fuerunt Nero, Diocletianus, & ſimiles: & DE MONTIBVS PARDORVM, hoc eſt, de ſuperba crudelitate hæreticorum: qui dum non ſæuiunt, ſed tantùm inficiunt, leproſis; dum ſæuiunt, rectè pardis comparantur. Fidem enim maculant ſuis erroribus, & ſua

ſua feritate perſequuntur Chriſti fideles; in vtroque maculoſis & ferocibus pardis ſimiles. Tales pardi fuerunt Ariani, & Caluiniſtæ noſtri ſæculi, vt teſtatur Gallia, Anglia, & noſtra Belgica. Apud Danielem per leonē ſiue leęnam deſignatur Monarchia Chaldęorum, per pardum Monarchia Græcorum, quæ ambæ fidelibus infeſtæ fuerunt. Per vrſum apud eumdem Prophetam ſignificatur Monarchia Perſarum, quæ Iudæis ęquior fuit. vnde hîc mentio vrſi nulla, ſed tantùm leonum & pardorum. Gentiles de ſpeluncis & cauernis ſiue cubilibus leonum in Chriſtianos inſiliunt, quia inferni portas cōtra Eccleſiam, & idololatriam infernalem defendunt: hæretici de montibus inſultum faciunt, quia ſummi Dei cultum prætexunt.

VVLNERASTI COR MEVM SOROR MEA SPONSA.] Amore cor ſauciatur. Sanè Sponſus in ſua Paſſione cor vulneratum habuit amore Eccleſiæ, quæ & ſoror eius & Sponſa eſt: ſoror, quia coheres, & quia facit voluntatem Patris eius qui in cælis eſt, Matth. 12. Sponſa, quia Chriſto parit heredes. Vnitas autem Eccleſiæ procuranda mouit Chriſtum, & eius amore vulneratum eſt cor eius: quia mortuus eſt, vt filios Dei diſperſos congregaret in vnum, Ioan. 11. & iam moriturus Patrem rogat, *vt omnes vnum ſint, ſicut tu* IX.

Pater in me, & ego in te; vt & ipsi in nobis vnum sint, Ioan. 17. Vnitatem ergo amat Sponsus in oculis Sponsæ, hoc est, in Episcopis Ecclesiæ, vt vnum dicant, vnum sapiant omnes. In crinibus vnitatem desiderat, vt fideles vnum habeant cor, & animam vnam; vnique capiti visibili, per collum, vt suprà diximus, significato, adhæreant. Alioqui non diffitemur, in hoc modo loquendi amantis teneritudinem exprimi; cui multum est, minimum eius quod amat aspicere, aut etiam semiclauso aspici ocello eius quam amat.

X. QVAM PVLCHRÆ SVNT MAMMÆ TVÆ, SOROR MEA SPONSA!] Ecce nudasti mammas ad lactandum filios quos mihi paris: ipsa lactatione multum mereris, & pulchrior euadis. SOROR MEA SPONSA: Soror castitate, Sponsa fœcunditate. Addit Anselmus, quòd etiam soror sit similitudine naturæ, secundùm humanam Christi naturam.

PVLCHRIORA SVNT VBERA TVA VINO, ET ODOR VNGVENTORVM TVORVM SVPER OMNIA AROMATA.] Pulchrius & magis est meritorium lactandis paruulis incumbere, quàm in cella vinaria contemplationis perpetuò morari. nam ODOR VNGVENTORVM TVORVM, hoc est, bona fama, quam ex cura animarum consequeris, melior est omnibus odoriferis virtutibus, apud ipsum qui dixit:

Mise-

Misericordiam volo, & non sacrificium. Sanè Marci cap. 12. laudatur tamquam benè dictum à Domino, *Diligere proximum tamquã seipsum, maius est omnibus holocautomatibus.* Odor ergo vnguentorum Sponsæ iam cum Sponso animas curantis, & beneficia contemplationis proximo communicantis, superat ipsius vitæ contemplatiuæ merita, qua tantùm suam salutem curabat. Quamuis enim optima pars sit in contemplatione; necessitas tamen facit, vt vnicuiq; etiam mandauerit Deus de proximo suo: ideoque & in diuino iudicio misericordiæ opera vel maximè expenduntur, quando vnicuique redditur secundùm laborem suum, & secundùm merita sua.

FAVVS DISTILLANS LABIA TVA SPONSA.] Dulcem Sponsæ in suis concionatoribus laudat eloquentiam, adeò vt à labiis ipsorum melliflua verba profluant, sicut mel ex fauo distillante. XI.

MEL ET LAC SVB LINGVA TVA.] Ita foris mel tuum gustui delectabile, & lac nutritioni aptum copiosè diffundis, vt tamen illa retinere tamquam in perenni fonte semper reputanda sis: inexhausta enim tibi manebit intus Spiritus sancti dulcedo. Indicatur largitas Sponsæ simpliciter ex cordis abundantia loquentis, & ab interioribus suggesta

mella

mella distillantis, quod Apostolus 2. ad Corinth. 6. indicatum voluit istis verbis: *Os nostrum patet ad vos, ô Corinthij, cor nostrum dilatatum est.*

ET ODOR VESTIMENTORVM TVORVM SICVT ODOR THVRIS.] Vestimenta sunt opera iustitiæ externa. Ecclesiastici cap. 27. *Si sequaris iustitiam, apprehendes illam, & indues quasi podêrem honoris.* Vestimenta ista odorem spargunt, sicut odorem thuris, quia Deo accepta sunt instar perpetuæ orationis. Rectè enim dixit quidam ex sanctis Anachoretis, se semper orare, etiamsi manibus interdum operetur, vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti, & ipse interdum manducet & bibat: Quia dum ego, inquit, operor, manduco & bibo; pauperes, quibus ex opere meo succurro, pro me orant. Præter istud, non est iniustus Deus vt obliuiscatur operis nostri, sed instar sacrificij ac incensi acceptat: vt proptereà rectè dicat Apostolus ad Hebræos cap. 13. *Beneficentiæ & communionis nolite obliuisci: talibus enim hostiis promeretur Deus.*

Abbas Lucius apud Ruffinum l. 3. n. 212. de Vitis Patrum.

SECTIO

SECTIO II.

Docetur Sponsa, quid postulet cura animarum.

CAP. 4. *verf.* 12. 13. 14. 15. 16.

12 HOrtus conclusus soror mea
Sponsa, hortus conclusus,
fons signatus. 13 Emissiones tuæ para-
disus malorum punicorum cum po-
morum fructibus. Cypri cum nardo,
14 nardus & crocus, fistula & cinna-
momum cum vniuersis lignis Libani,
myrrha & aloë cum omnibus primis
vnguentis. 15 Fons hortorum: puteus
aquarum viuentium, quæ fluunt im-
petu de Libano. 16 Surge Aquilo, &
veni Auster, perfla hortum meum, &
fluant aromata illius.

HORTVS CONCLVSVS SOROR MEA SPONSA, &c.] Monetur Sponsa, vt sit, aut potiùs laudatur ipsa quòd sit sicut HORTVS CONCLVSVS, dum curam gerit animarum. Oportet enim eum, qui alios lucrari vult, secum habitare, semper animo esse collecto; cacumen mentis suæ ita in XII.

Deo

Deo fixum & radicatum habere, vt non aliò diffluat variè distractus, ne fortè fundamento excidat, cui superædificare debet; & dum aliis prædicauerit, ipse reprobus efficiatur. Est Ecclesia hortus, in qua plurimæ sunt arbores fructuosæ, flores odorati, oluscula, fructus boni operis. Omnibus omnia dum fit curans animas, & ipse hortus est: pascit vt lignũ fructiferum: Christi bonus odor est, vt flos odorus. In horto isto Paulus plantat, Apollo rigat, Deus autem incrementum dat. Rigatio est ex fonte signato. HORTVS hic CONCLVSVS etiam intelligi potest, inquit Beda, quia Domini & Redemptoris sui protectione munita persistit Ecclesia, ne improba vmquam vel hominum infidelium vel immundorum spirituum corruptione violetur, & à fructuum cælestium productione passim conculcata retardetur. Est Ecclesia HORTVS CONCLVSVS, manens intra sepimentum diuinæ legis: quam sepem qui dissipat, mordebit eum coluber. Monetur ergo qui docet, sibi manendum esse in doctrina tradita; &, vt Veteres dixerunt, nihil innouandum nisi quod traditum est. Huc pertinet quòd vinea Domini, quæ domus Israel est, sepem suam habeat, Isaiæ 5. Est ergo Ecclesia HORTVS CONCLVSVS. At quare bis dicitur, HORTVS CONCLVSVS? An fortè quia moralibus

à

à Chriſto recognitis,& poſitiuis Chriſti legibus continetur & circumcluditur?

FONS SIGNATVS.] Inter Chriſti leges, quibus hortus concluſus & ſeptus eſt, etiam ſunt leges de Baptiſmo ſuſcipiendo: nam qui credit, baptizari poteſt, & effectum etiam gratiæ conſequitur, ſi animo conuerſus fuerit. Hoc ſigillo diuini verbi ſancitum eſt, eoq́ue & fons ille ſignatus. Et fortè hortus ſerâ concluſus eſt: quia diſciplina Eccleſiæ, vtendo clauium poteſtate, eiicit eos de Eccleſia qui diſſipant ſepem. Fons autem tantùm ſigillo ſignatus eſt, & non ferreis clauſtris munitus: quia Sacramentum Baptiſmi etiam indigni percipiunt, & retinent indelebilem characterem, quando impœnitentes, & ficti, quaſi fontis fracto ſigillo baptizati ſunt. Ideoq́ue etiam reconciliati rebaptizandi non ſunt: quia validè baptizati & loti ſunt,& ſubſequentibus pœnitentiæ lacrymis fit vt etiam abluti ſint & ſanctificati.

EMISSIONES TVÆ PARADISVS MALORVM PVNICORVM CVM POMORVM FRVCTIBVS.] XIII.
EMISSIONES TVÆ, id eſt, propagines horti tui, conſtituunt quaſi excellentem paradiſum malorum granatorum, CVM POMORVM FRVCTIBVS, hoc eſt, inſignem producunt fructum. Producunt Martyres, per mala punica propter ruborem ſignificatos, & omnis

gene-

generis fructus deliciarum plenos, hoc eſt, fideles omni virtutum præſtantia eminentes.

CYPRI CVM NARDO.] Cyprus alta & calida, ſublimes Sanctos ſignificat: ſed altitudini opus eſt nardo humili, & calori addendus bonus odor: quia Sancti ſuæ eximiæ ſanctitati addunt humilitatem, & zelo ardoris ſui addunt ſcientiæ diſcretionem, tamquam ſuauis odoris condimentum.

Calor etiam amor intelligi poteſt: qui ſi carnalis eſt, ſine nardo eſt, fœtidus eſt; nam ſpiritualis & ſanctus amor ſicut nardus ſpirat odorem ſuauitatis.

XIV. NARDVS ET CROCVS.] Quia humilitas in nardo commendata erat, monetur Sponſa, qui regunt in Eccleſia, ita debere eſſe humiles, vt auctoritatem ſuam nihilominùs coram ſubditis ſeruent. Crocum ergo ſuę humilitati addant. In croco color eſt aureus, & virtus confortandi cor. Monentur itaque Superiores ita eſſe in corde humiles, vt tamen exteriùs luceant eorum opera bona, præſertim aurum charitatis & eleemoſynæ; vt ſic auctoritatem retineant, & maiorem ſibi comparent, & latitudinem cordis accipiant, quam Salomoni dedit Deus; 3. Reg. 4.

FISTVLA ET CINNAMOMVM CVM VNIVERSIS LIGNI LIBANI.] FISTVLA eſt canna ſiue calamus aromaticus, ſiue iuncus odoratus.

tus. Vult ergo Sponſam in cura animarum commendabilem eſſe à bono nominis ſui odore, & calore boni zeli per CINNAMOMVM ſignificato; & ab VNIVERSIS LIGNIS LIBANI, hoc eſt, ab odore bonæ famæ incorruptibilium virorum ad conuerſionem animarum cooperantium. Adiungit aliam in iſtis neceſſariam qualitatem, dicens:

MYRRHA ET ALOE CVM OMNIBVS PRIMIS VNGVENTIS.] Debent enim aſſiduè ſtudere mortificationi per myrrham ſignificatæ, ne peccent; & habere, ſi peccauerint, perpetuum de peccatis in hac vita dolorem: vt ſic plenè ab eis ſanentur, humoribus omnibus & corruptione extractis. Dicitur enim aloë vim habere corruptionem è corpore extrahendi. Addit, CVM PRIMIS VNGVENTIS, hoc eſt, cum illis quæ grauiora ſunt Legis: qualia ſunt, iudicium, miſericordia, & fides, vt eſt Matthæi cap. 23. Hæc enim ſunt prima vnguenta & præcipua, ita vt potiùs aliquid de myrrha & aloë ſit remittendum, quàm iſta negligantur. Ideoque qui mortificationi & pœnitentiis externis dant operam, non facilè contemnere debent eos qui grauioribus iſtis legis exercitiis incumbunt. Corporis etiam exercitatio ad modicum vtilis eſt, pietas autem ad omnia valet, promiſſionem habens huius vitæ & futuræ.

XV. FONS HORTORVM.] Ecclesia vniuersalis est FONS HORTORVM. Doctrina Euangelica,& sacræ Scripturæ, irrigans non tantùm areolas,& particulares Ecclesias, sed & singulos fideles,quibus Deus dat incrementum vt in spiritu crescant & adolescant. Est etiam PVTEVS AQVARVM VIVENTIVM. Idem est fons qui puteus. Sed quia est aqua viua, saliens ex venis suis in vitam æternam, fons dicitur; puteus autem,quia altus est, & opus est interprete, vt fatebatur Philippo Eunuchus. *Actor. 8.*

QVÆ FLVVNT IMPETV DE LIBANO.] Libanus odorifer ille mons, est Christus Dominus, qui cum impetu misit in die Pentecostes flumina ista aquæ viuæ, de quibus agit Ioannes cap.7. loquens de Spiritu quem accepturi erant credentes. Hic est fluminis impetus lætificans ciuitatem Dei. Hæ aquæ viuæ ad radicem montis in Ecclesiæ horto, & fontem aquæ viuæ & puteum faciunt. Viuæ quidem,sed profundæ sunt aquæ: subterraneo,hoc est, occulto meatu fluunt, quia nescis vnde spiritus veniat, aut quò vadat, Ioan. 3.

XVI. SVRGE AQVILO,ET VENI AVSTER, PERFLA HORTVM MEVM,ET FLVANT AROMATA ILLIVS.] Quasi dicat:Leua te ex horto meo Aquilo,& noli eum perflare, & veni eius loco

co Auſter,& perfla hortum meum, tuoque calore efficias vt fluant aromata illius. At quare Sponſa non dicit, Abi Aquilo? Exiſtimo, quia in militante Eccleſia viciſſitudines ſunt Auſtri & Aquilonis; adeò vt flante Auſtro proſperitatis, ſupra caput immineat ſæuus Aquilo. Malaciam pacis ſequitur frequenter turbo perſecutionis. Abeunte ergo & recedente hieme, etiam quaſi vernante Eccleſiæ horto, interdum Aquilonis frigus exſurgit, vt impediatur aromatum fluxus. Quò pertinet illud Pſal. 38. *Poſui ori meo cuſtodiam, cùm conſiſteret peccator aduerſum me. Obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui à bonis.* Sic in pace data per Conſtantinum, exortus eſt Aquilo perſecutionis ſuſcitatæ per Licinium: & quando leones ceſſant, veniunt pardi, veniunt hæretici, vt apparuit in Donatiſtis & Arianis, pacem Eccleſiæ ſub Conſtantino turbantibus. Cupit ergo Sponſa, vt Auſter perflet Eccleſiæ hortum, & operum bonorum aromata fluant, Sponſoque placeant, quem mox inuitare deſiderat vt hortum viſat.

SECTIO III.

Sulamitis & Sponsus, communis horti fructu ac messe delectantur, simul cum Sponsi amicis.

CAP. 5. *versu* 1.

1 VEniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorũ. Veni in hortum meum soror mea Sponsa; messui myrrham meam cum aromatibus meis: comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo: comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi.

1. VENIAT DILECTVS, &c.] Cùm iam videretur hortus suus amœnissimus, & maximè vigorosus; inuitat Sponsa suum Sponsum, ipsumque hortum dicit Sponsi. Communia enim habent omnia Rex & Regina, sicut coniuges. Imò & labor culturæ communis est. Dei enim agricultura sumus: & etiamsi Sponsa plantet & riget, solus tamen Sponsus dat incrementũ; & Sponsi beneficio Sponsæ etiam est hortus, qui propriè Sponsi est: imò & ipsa Spon-

Sponſa hortus eſt concluſus, vt ſuprà vidimus. Concluſus ergo hortus meritò Sponſo patet.

COMEDAT FRVCTVM POMORVM SVORVM.] Hoc eſt, Delectetur omnigenis fidelium ſuorum fructibus; quæ poma ſunt Sponſi, quia non ſumus ſufficientes facere aliquid ex nobis: ſine ipſo non facimus fructum, imò ſine ipſo nihil poſſumus facere. Adeſt mox Sponſus, cuius deliciæ ſunt eſſe cum filiis hominum:

VENI, inquit, & ingreſſus ſum IN HORTVM MEVM, SOROR MEA SPONSA.] Sororem vocat propter caſtitatem, Sponſam propter deſponſationem in incarnatione Verbi factam, & alias cauſas Cap. 4. poſitas, verſ. 9. & 10.

MESSVI MYRRHAM MEAM CVM AROMATIBVS MEIS.] Myrrham Sponſus metit, quando Martyres aut alios Sanctos plenè mortificatos per huius vitæ pœnas aut pœnalitates ad ſe ſumit. Aromata metit, quando alios Sanctos virtutum odoribus inſignes, in montem aromatum, hoc eſt, in cæleſtia horrea transfert.

COMEDI FAVVM MEVM CVM MELLE MEO.] Comedit fauum cum melle ſuo, quando delectatur bonitate & ſuauitate operis ſancti, quod ipſe tamquam mel in fa-

uo, hoc eſt, in cordibus fidelium ſuorum in-operatur.

Bibi vinvm mevm cvm lacte meo.] Bibit Sponſus vinum in perfectioribus, qui ablactati ſunt, & ſolidi cibi capaces, quando eorum progreſſu lætatur. Bibit lac, quando in Eccleſia ſua, ſiue in horto ſuo, videt cum delectatione erudiri paruulos, & adoleſcentulos, *ad ſciendam ſapientiam & diſciplinam, ad intelligenda verba prudentiæ, ad ſuſcipiendam eruditionem doctrinæ, iuſtitiam, iudicium, & æquitatem: vt detur paruulis aſtutia, adoleſcenti ſcientia & intellectus:* Prou. 1.

Comedite amici, et bibite.] Inuitat amicos ſuos, hoc eſt, fideles, vt & ipſi delectétur bono opere: quæ delectatio comeſtione faui cum melle ſignificatur. Bibant vinum perfecti, & lac paruuli. Sunt qui Euchariſtiæ accommodent, quæ amicis Dei in conuiuium exhibetur. quem ſenſum iuuat quòd LXX. verterint immediatè præcedentia verba in hunc modum: *Manducaui panem meum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo.* Eumdem ſenſum, etiam retenta noſtra Verſione, non amittimus, ſi per fauum cum melle intelligamus carnem & animam Chriſti in carne quaſi in fauo latenté. Vtitur diuino hoc ſenſu Ambroſius lib. 5. de Sacramentis cap. 3. verba eius ſunt: *Habes*

bes hoc in Canticis canticorum. Lætata inuocat Christum, paratum habens conuiuium, quod dignum cælesti epulatione videatur. Ideoq; ait: Descendat frater meus in hortum suum, & capiat fructum pomiferarum suarum. Quæ sunt istæ pomiferæ? Lignum aridum factus eras in Adam, sed nunc per gratiam Christi pomifera arbor pullulasti. Libenter accepit Dominus Iesus, & dignatione cælesti respondit Ecclesiæ suæ: Descendi, inquit, in hortum meum: vindemiaui myrrham cum vnguentis meis; manducaui panem meũ cum melle meo, & bibi vinum meum cum lacte meo. Edite, inquit, fratres mei, & inebriamini. Et infrà: *Vides quòd in hoc pane nulla sit amaritudo, sed omnis suauitas sit. Bibi vinum cum lacte meo. Vides eiusmodi esse lætitiam quæ nullius peccati sordibus polluatur. Quotiescumque enim bibis, remissionem accipis peccatorum, & inebriaris spiritu. Vnde & Apostolus ait: Nolite inebriari vino, sed implemini Spiritu sancto. Vino enim qui inebriatur, vacillat & titubat: Spiritu qui inebriatur, radicatus in Christo est. Et ideò præclara ebrietas, quæ sobrietatem mentis operatur.* Meritò ergo dicit Sponsus:

ET INEBRIAMINI CHARISSIMI.] Ad ebrietatem in hoc spirituali vino bibunt, qui ad ecstaticam Dei contemplationem perueniunt. Ideò non tantùm amici, sed CHARISSI-

RISSIMI dicuntur. Eſt illa ebrietas, de qua in Pſal. 21. *Calix meus inebrians quàm præclarus eſt!* Sanè ad martyrium parati, hoc vino inebriati ſunt: quia introducti in cellam vinariam, ita habent in ſe ordinatam charitatem, vt pro Deo libenter moriantur, ſcientes ſe Deum debere ampliùs diligere, quàm ſeipſos. De hac ebrietate etiam accipiendum eſt illud Pſal. 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, ac torrente voluptatis tuæ potabis eos: quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Inebriatio enim iſta potiùs eſt futuræ vitæ: ſed Deus ſua ſingulari bonitate etiam prælibandam illam ſuis chariſſimis exhibet in hac vita, quantum humana hîc poteſt ferre infirmitas.

SECTIO IV.

Remora in cura animarum prima.

CAP. 5. *verſ. 2. 3. 4.*

2 EGo dormio, & cor meum vigilat: vox dilecti mei pulſantis: Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium. 3 Expoliaui me tunica

nica mea, quomodo induar illa? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?
4 Dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius.

EGO DORMIO.] Dormit, quia à sollicitudine & turbatione erga plurima cessat. Cor tamen eius vigilat: quia vt solent amantes etiam in somnis meminisse amici sui; ita Sponsa est intenta in hac quiete contemplationi Sponsi. Ita ferè Anselmus; neque dissentit Gregorius, reddens sensum his verbis: *Dum à mundanis tumultibus externis dormio, interiori cogitatione quæ sunt cælestia vigilans penso*. Aliter explicari potest, quod tamen ferè in idem recidit, hoc modo: Sponsa post horti sui curam, & suauia Sponsi alloquia, in contemplationis quiete ita versatur, vt cor ipsius vigilet; ita vacat ab externis, vt cor tamen, curâ animarum distractum, vigilet intentumque sit, an fortè à Sponso ad necessitatem aliquam tollendam iterùm euocetur. Quod factum verba sequentia narrant: dum enim ita dormiens vigilat, audit vocem Dilecti sui pulsantis: 11.

APERI MIHI SOROR MEA, AMICA MEA, COLVMBA MEA, IMMACVLATA MEA.] Vult

his verbis Sponsus Sponsam monitam, vt ad labores redeat conuertendi proximos, quos similes sui bonis suis monitis efficiat, atque ita corda eorum, diuina operante gratia, Deo aperiat. quasi dicat: Facias mihi fratres, coheredes, consanguineos, quia tu es SOROR MEA: & ipsi iam extra viua mea membra sunt, extra hereditatem meam, extra filialem erga Patrem meum amorem. Fac eos amicos meos, quia AMICA MEA es: ipsi autem inimici mei sunt, quia præcepta mea violant. Fac eos columbas, recepto aut recuperato Spiritu sancto, quia tu es COLVMBA MEA, spiritu meo plena: ipsi autem malis suis operibus Spiritui sancto resistunt. Fac eos immaculatos, deletâ peccati in ipsis maculâ, quia tu es IMMACVLATA MEA: ipsi autem peccatis mortalibus sese macularunt. Hæc declarans addit:

QVIA CAPVT MEVM PLENVM EST RORE.] Refrixit charitas in ipsis erga Deum, qui est caput Christi; frigido noctis rore in ipsis amor diuinitatis est extinctus.

ET CINCINNI MEI GVTTIS NOCTIVM pleni sunt.] Quasi dicat: Qui per fidem mihi adhærent tamquam Deo, ideoque cincinni capitis mei sunt, dum mihi non aperitur, à tenebrarum principe ita crassis humoribus impleti sunt, vt tamquam guttæ excidant è corpore

pore meo, & diſſluant in terram, & ipſi cincinni in defluum rorem verſi videantur.

EXPOLIAVI ME TVNICA MEA.] Hæc dicit Sponſa, quaſi Sponſo ſibi aperiri per eam volenti reſpondens. Quaſi dicat: Modicè quieui, tunica vixdum exuta; & iterùm eam reſumam? Exuit ſe tunicâ Sponſa, quando varietate corporalium ſeu externarum occupationum, pro quiete in Sponſo habenda, ſeſe exuit. Excuſat ſe ergo, aut potiùs incommodum aliquod allegat, ſi iterùm implicare ſe debeat animarum curandarum negotiis: maximè cùm & pedes ſuos, hoc eſt, affectus ſuos lauerit, & ſemetipſam Sponſi gratia immaculatam, ablutis humanæ conuerſationis ſordibus, reddiderit, quos iterùm maculare incommodum ſit. 111.

Dici etiam poteſt, ſignificari hîc Eccleſiam inuitatam ad conuerſionem & profectum animarum curandum; ſe magnum eſſe paſſam detrimentum in operariis qui iam obierunt, & tunica corporis ſui per martyrium ſub tyrannide Romanorum Principum exuti ſunt. Eſt enim non ſemel in Scriptura tunica pro corpore poſita per ſimilitudinem. Et ne Sponſus dicat ſupereſſe alios, & pro patribus natos eſſe filios; dicit Sponſa, ita quidem eſſe, iiſque pedibus ſe poſſe aliò deferri, fidemque ac Sponſi cultum propagari;

gari;

gari; ſed teneros adhuc eſſe, & verendum, ne citò, etiamſi nunc mundi ſint, maculentur conuerſatione cum hominibus conuertendis. Has remoras Sponſus abrumpens, fecit quod ſequitur.

IV. DILECTVS MEVS MISIT MANVM SVAM PER FORAMEN.] Blandè rogata Sponſa, non mox aperuit. Sponſus, dum non aperitur, ſibi introitum parat, miſſa manu per oſtij foramen, tetigitq́; ventrem, hoc eſt, excitauit appetitum Sponſæ, quo iam ad animarum lucrum, quaſi ad incorporationem & generationem ſpiritualem, commotis miſericordiæ viſceribus feſtinaret.

Hunc ventrem Auguſtinus intelligit, quando Pſalmo 57. dicitur: *Errauerunt ab vtero, locuti ſunt falſa. In ventre*, inquit, *Eccleſiæ veritas manet. Quiſquis ab hoc ventre Eccleſiæ ſeparatus fuerit, neceſſe eſt vt falſa loquatur.* Tangitur ergo & excitatur venter Eccleſiæ, vt veritatem doceat eos qui errauerunt ab vtero & veritate. Philo monet, tunc manum ſuam Sponſum per foramen Sponſæ admouere vt ſurgat, cùm per internam quamdam intelligentiam eam inſtruit ac docet quàm mira ſint diuinæ prouidétiæ & poteſtatis opera: quibus qui protegitur, is numquam perire poteſt. Propterea non eſſe timendum, quin vel inter pericula tutò verſari

ſari poſſit ob ſalutem proximorum. Similia habet Gregorius; ex quo putat Delrius multa eſſe addita Philoni Carpathio. D. Thomas hîc notat potentiam tangentis noſtram voluntatem Chriſti; addens, quando ſic Sponſa tangitur, non tantùm firmiores partes, vt oſſa, ſed etiam ventrem eius, hoc eſt partes infirmiores, ſe paratas exhibere ad obediendum Chriſto.

SECTIO V.

Altera difficultas oritur ex amiſſo Sponſo, dum Sponſa dat operã lucrandis animabus.

CAP. 5. *verſu* 5.6.7.8.9.

5 SVrrexi, vt aperirem dilecto meo:
manus meæ ſtillauerũt myrrham,
& digiti mei pleni myrrha probatiſſima.
6 Peſſulum oſtij mei aperui dilecto
meo: at ille declinauerat, atq; tranſierat.
Anima mea liquefacta eſt, vt locutus
eſt: quæſiui, & non inueni illum: vocaui,
& non reſpondit mihi.
7 Inuenerunt
me cuſtodes qui circumeunt ciuitatem:
percuſſerunt me, & vulnerauerunt
me: tulerunt pallium meum mihi
cuſtodes murorũ.
8 Adiuro vos filiæ Ieruſalem,

rusalem, si inueneritis dilectũ meum, vt nuntietis ei quia amore langueo. [9] Qualis est dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum? qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adiurasti nos?

v. SVRREXI VT APERIREM, &c.] Excitata verbis, excitata etiam tactu cordis, omni tergiuersatione sublata, surgit à contemplatione Sponsa, & ad lucrandum animas se accingit; Dilecto pessulum cordis, vbicumque potuerit, apertura. Interim dum ad aperiendum accurrit, pessulumq́ue ostij attingit, inuenit Dilectum viam quasi præparasse. Prædicator enim qui animas conuertet, debet manus habere myrrha stillantes, & digitos plenos myrrha probatissima. Debet mortificationis studium vltrò coniungere omnibus actionibus suis, accipiens illam myrrham, siue odoriferam mortificationem à Dei manu, qui pessulum ostij nostri, hoc est, cordis nostri duritiem emollit isto vnguento compunctionis. In digitis Gregorius Magnus intelligit diuersitatem virtutum. *Sicut*, inquit, *ab vna manu plures digiti diuiduntur, sic in vna sancta conuersatione per discretionem diuersæ virtutes inueniuntur.*

PES-

PESSVLVM OSTII MEI APERVI DILECTO MEO: AT ILLE DECLINAVERAT, ATQVE TRANSIERAT.] Quaſi dicat: Totam me ipſi reſignaui: tota incubui vt eum exciperem; at ipſe declinauerat: non egit mecum illa familiaritate, qua ſolet cum dilecta ſua Sponſus. Deus enim non ſemper tunc viſitat animam, quando pro ſe laborat, ea conſolatione, quæ futuræ vitæ eſt quædam prælibatio: ſed ad meritum laborare ſinit Dilectam, ei occulta ſua nihilominus gratia cooperans. Declinat ergo, & tranſit ſubinde à Sponſa ſuauis conſolator: interim etiam ad ſe toto corde quærendum, ſibique aperiendum, & lucrandum etiam alias animas, Dilectæ ſuæ adeſt præſens fortis adiutor. Declinat à Sponſa, vt in ea deſiderium quærendi accendat. VI.

ANIMA MEA LIQVEFACTA EST, VT LOCVTVS EST.] Quaſi dicat: Magno deſiderio incalui, & liquefacta eſt anima mea ad vocem eius: attamen quia tunc non ſtatim ſurrexi, ſed expectaui donec me tangeret; & ipſe quærenti mihi ſeſe non ſtatim offert, vocanti non ſtatim reſpondet. quia nimirum tarditatem tarditate merui.

INVENERVNT ME CVSTODES, QVI CIRCVMEVNT CIVITATEM.] Non ſunt hi iidem, de quibus Cap. 3. verſ. 3. vt benè ſentit Theodore- VII.

doretus. Quamuis enim CVSTODES, seu vigiles, eodem ferè modo hîc & ibi describantur; & non desint qui etiam hîc CVSTODES in bonam partem accipiant, vt Philo, Anselmus, Beda, Gregorius: potest tamen ciuitas ibi intelligi ciuitas Dei, hîc autem terrena. Vt Sponsa dicat: Se dum Christum quærit, eumque per ciuitatem terrenam palàm prædicat, impegisse in tyrannos, qui custodiendæ ciuitati præsunt, ipsamque malè mulctasse verberibus & vulneribus, atq; etiam aliquos ex suis morte affecisse. Ecclesia enim dum in tenebris infidelitatis per noctem prædicat Dilectum suum, in suis prædicatoribus (aliis cæsis, aliis vulneratis, aliis occisis) percutitur, vulneratur, & necatur. Quia tamen ipsa in se interimi non potest; dicit, Doctorum seu Prædicatorum suorum martyrium describens, se à custodibus murorum pallio suo spoliatam. Tunica enim exuitur, qui occiditur, vt suprà diximus, & est conforme Apostolo 2. ad Corinth. 5. *Nolumus expoliari, sed superuestiri*. Septuaginta hîc reddunt loco pallij, theristrum, quod fuisse ornamentum muliebre, constat Gen. 38. & Isaiæ 3. Ornatum ergo suum amittit Ecclesia, quando excellentes viri per tyrannos occiduntur.
VIII. Quibus amissis, filias Ierusalem, electas animas, etiam fideles adiurat, vt pro se orent; & si Dilectum

Dilectum suum inuenerint, nuntient ei QVIA AMORE LANGVEO. Hoc est, quod amore eius amiserim præclaros viros, ita vt langueam, ipsiusque consolatione & roboratione indigeam: ideoque dignetur vltrò se offerre, & Sponsæ suæ vires instaurare, mittendo operarios in vineam suam.

Respondent filiæ Ierusalem, & edoceri cupiunt, tamquam à magistra, qualitates Sponsi, cuius causa tam seriò sunt adiuratæ:
QVALIS EST DILECTVS TVVS EX DILECTO?] IX.
Cùm ita eum ames, & per nos inueniri, ac similiter perfectè amari desideres; edissere nobis qualis ipse sit, O PVLCHERRIMA MVLIERVM. Ecclesia est pulcherrima mulierum, quia nulla congregatio tam pulchra est, non Iudæorum, non paganorum, non hæreticorum. Excedit etiam particulares Ecclesias Ecclesia vniuersalis. At quid sibi vult illud, EX DILECTO? quare Sponsus dicitur DILECTVS EX DILECTO? Quidam dicunt esse Hebraismum, vt idem sit quod dilectissimus ex dilectis. vt hic dicatur, Sponsum ex omnibus iis quæ Sponsa diligit esse dilectissimum: ita vt propter ipsum non solùm verbera & vulnera, sed & mortem subire, & omnia quæ habet, etiam animam suam odisse parata sit. Sanè non improbabiliter ipse Sponsus hic dilectissimus, & omni Dilecto

 præfe-

præferendus dicitur, ſicut ipſa dicta fuit pulcherrima mulierum.

Dicere tamen poſſumus, Sponſum dici Dilectum ex dilecto, quia eſt Filius genitus ex Patre, hoc eſt, ſummè diligibilis ex ſummè diligibili. Cui conſonat illud Eccleſiaſtici 51. *Inuocaui Dominum patrem Domini mei.* Certè circa diuinitatem Chriſti maximè docendæ ſunt animæ adhuc adoleſcentulæ, vt proficiant, & etiam ipſæ alias doceant, vt meritò hanc doctrinam expetant dicentes, QVALIS EST DILECTVS TVVS EX DILECTO?

At quare bis idem repetunt, QVALIS EST DILECTVS TVVS EX DILECTO? Vehementi ſtudio diſcendi id adſcribi poteſt. Dici tamen poteſt ideò repeti, quia etiam generatio Dilecti ſecũdùm carnem, ad doctrinæ Chriſtianæ principia pertinet: quæ generatio etiam eſt non ex voluntate viri, aut ex voluntate carnis, ſed ex Deo; quia, Spiritu ſancto obumbrante, ex dilectæ Deo, & inter mulieres benedictæ Virginis vtero.

D. Thomas hanc ſectionem ita accipit, vt Sponſa, iam Chriſti Domini tactu conuerſa, prompta fuerit ad ſeruiendum Sponſo; ideoq; ſurrexerit à contemplatione ad prędicandum verbo, & aperiendum Chriſto corda credentium, & ad prædicãdum exemplo

plo boni operis, ſignificati per manus & digitos myrrham diſtillantes. Per peſſulum oſtij intelligit curam temporalium, propter quam à Prælatis Eccleſiæ (qui nunc plus temporalibus occupantur quàm in primitiua Eccleſia) declinat Chriſtus, quia diſtracta mente non inuenitur Sponſus. Verba illa, ANIMA MEA LIQVEFACTA EST, eò pertinere putat, quòd memoriâ dulcedinis diuinæ, quam in oratione aliquando ſentimus, moueamur ad quærendum Chriſtum; attamen non ſtatim inueniamus, intercurrentibus, tamquam circitoribus aſſiduis, cogitationibus, mentem non ſolùm diſtrahentibus, ſed & percutientibus & vulnerantibus. Loco enim perſecutionum, quas olim Eccleſia patiebatur, nunc ſucceſſit cura rerum temporalium, quæ à nobis facit recedere Chriſtum. Itaque peſſulus iſte eſt amouendus, vt Chriſtus inueniatur: ſuperandæ & cogitationes iſtæ diſtrahentes, quæ nos percutiunt, quando eis damus aditum; nos vulnerant, quando in eis delectamur; & pallio virtutum ſpoliant, quando cor apponimus per conſenſum. Iſtæ ſunt ſpinæ ſuffocantes verbum. *Sollicitudo ſæculi iſtius,* (inquit Dominus apud Matth. cap. 13.) *& fallacia diuitiarum ſuffocat verbum, & ſine fructu efficitur.* Rumpitur etiam rete Eccleſiæ Lucæ 5. per copioſam multitudinem piſcium:

ſcium: hoc eſt, vulneratur Eccleſia, quando per carnalium hominum multitudinem in ea ſubortis hæreſibus & ſchiſmatibus, pax diſſcinditur: Auguſtinus de Quæſtionibus Euangelicis lib. 2. quæſt. 2.

SECTIO VI.

Sulamitis Dilectum ſuum deſcribit; & à capite ad calcem, & per membra, laudes eius concinnat.

CAP. 5. *verſ.* 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17.

10 DIlectus meus candidus & rubi-
cundus, electus ex millibus.
11 Caput eius aurum optimum: comæ
eius ſicut elatæ palmarum, nigræ quaſi
coruus. 12 Oculi eius ſicut columbæ ſu-
per riuulos aquarum, quæ lacte ſunt lo-
tæ, & reſident iuxta fluenta pleniſſima.
13 Genæ illius ſicut areolæ aromatum
conſitæ à pigmentariis. Labia eius lilia
diſtillantia myrrham primam. 14 Ma-
nus illius tornatiles aureæ, plenæ hya-
cinthis. Venter eius eburneus, diſtin-
ctus ſapphiris. 15 Crura illius columnæ
marmoreæ, quæ fundatæ ſunt ſuper ba-
ſes

ſes aureas. Species eius vt Libani, ele-
ctus vt cedri. 16 Guttur illius ſuauiſſi-
mum, & totus deſiderabilis: talis eſt
dilectus meus, & ipſe eſt amicus meus,
filiæ Ieruſalem. 17 Quò abiit dilectus
tuus, ô pulcherrima mulierum? quò de-
clinauit dilectus tuus? & quæremus
eum tecum.

DILECTVS MEVS CANDIDVS ET RV- x.
BICVNDVS.] CANDIDVS propter diuinitatem, quia lux candorem habet. Vnde & de æterna Sapientia dicitur Sapientiæ 7. *Candor eſt lucis æternæ.* Eſt etiam ſecundum humanitatem CANDIDVS, quia erat immunis ab omni peccato. & vt dicit Apoſtolus 2. Corinth. 5. *non nouit peccatum.* Beda: *Candidus, quia in carne apparens peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius.* RVBICVNDVS, quia factus eſt pro nobis peccatum. Pro nobis rubrum factum eſt veſtimentum eius, quando torcular calcauit ſolus, quando pro nobis innocens agnus occiſus eſt. Primò ergo CANDIDVS, deinde RVBICVNDVS.

ELECTVS EX MILLIBVS.] Id eſt, ex omnibus. Mille enim pro omnibus etiam alibi Salomon accipit; vt Eccleſiaſtæ 7. *Virum de*

mille vnum reperi, mulierem ex omnibus non inueni. Vbi *de mille* in primo membro, idem est quod *ex omnibus* in secundo. Est autem Christus Dominus electus ex omnibus, si candorem eius spectes, quia vnus est Deus: vnus etiam ex hominibus, ita cādidus quoad puritatem à peccato, vt nec possibile sit ipsum peccato maculari; & vt solus ipse potuerit esse mediator Dei & hominum, caput electorum, primogenitus in multis fratribus; solus ipse rubicundus Sanguine suo, torcular calcare & nos redimere potuerit. At quare non dicit, Electus ex omnibus? Fortè quia dicere voluit, electum ex electis. omnes autem non sunt electi: imò multi vocati, pauci verò electi. Sunt tamen electorum etiam multa millia, ex quibus & præ quibus electus est iste Dilectus.

XI. CAPVT EIVS AVRVM OPTIMVM.] CAPVT Christi Deus. Diuinitas optimè auro significatur, quia Deus noster ignis consumens est; aurum autem optimū flammicat. Hoc auro deaurantur omnes, qui per gratiā fiunt diuinę consortes naturę. Hoc aurum Deus Pater Filio dedit, quando dedit ei quod maius omnibus est, & quando eum vnxit Spiritu sancto. nam Deus charitas est, & charitas aurum est.

Dicunt aurum in quantitate æquali ponderosius esse omni metallo. Quo significatur,

tur, in rerum omnium æstimatione, Deum debere semper præponderare, & magis amari: quia pondus nostrum amor noster est; & quod magis ponderat, magis est amabile. Est etiam aurum in hoc Deo simile, quòd facillimè sese permittat cõmunicari. Nihil enim ex metallis tam facilè in subtilem lineam prolongatur, & in varias bracteas dilatatur, in minutissimas arenulas diuiditur; adeò vt & comestibile fiat, & potabile. Quomodo & Dei bonitas sese diffundit ad omnem creaturam. Auro etiam Dei immutabilitas significatur, quod in igne, qui maximæ actiuitatis est, nihil amittit, sed purius euadit. Aurum non est obnoxium rubigini, aut ærugini; Deus incorruptibilis est.

COMÆ EIVS SICVT ELATÆ PALMARVM, NIGRÆ QVASI CORVVS.] Elatæ sunt corticulæ quibus dactylorum botri florentes inuoluuntur, quæ finduntur calore, & in longum panduntur prorumpentibus flosculis, pendentque instar comarum. Sicuti non intelleximus visibile corporis naturalis Christi caput, quando dictum est CAPVT EIVS AVRVM OPTIMVM; ita neque comas hîc naturales accipere necessum: nam eæ non fuerunt NIGRÆ sicut CORVVS, sed castanei coloris, vt Nicephorus refert. COMÆ ergo Christi, id est, fideles Christi, sunt sicut va-

ginæ illæ siue corticulæ PALMARVM. Adhærent firmiter capiti suo Christo & Deo; & quando in persecutione finduntur, vt palma pressa euadunt superiores: quinimò sic fructum producunt & semen spargunt Christianismi. Passionis quidem ignominiâ Christiani mundo sunt instar coruorum & malefactorum nigri: vt & in oculis suis propriis ipsi nigri sunt, quando præ humilitate semper sua considerant & agnoscunt peccata; sed verè Ecclesiam ornant, sicuti nigra cæsaries bonæ complexionis indicium, ac iuuenilis roboris sine canitie signum est, totumque hominem ornat.

Aduerto hîc duas similitudines comarum Sponsi. Vna est cum elatis palmarum, altera cum nigredine corui. Quo obseruato, non est opus laborare in eo, an ELATÆ PALMARVM etiam coruinum habeant colorem.

XII. OCVLI EIVS SICVT COLVMBÆ SVPER RIVVLOS AQVARVM, QVÆ LACTE SVNT LOTÆ, ET RESIDENT IVXTA FLVENTA PLENISSIMA.] OCVLI Corporis Christi sunt Prælati; quos oportet esse primò cautos & vigilantes, secundò candidos, tertiò Scripturarum scrutatores. Primum significant COLVMBÆ SVPER RIVVLOS AQVARVM, vbi facillimè omne genus rapacium auium percipiunt, vt suprà attigimus. Secundum significatur illis

lis verbis, QVÆ LACTE SVNT LOTÆ. Debent enim prudentiam coniungere cum ſimplicitate candoris. In candore etiam puritas conſcientiæ & ſanctitas ſignificatur, qua Prælati eminere debent, vtpote ſanctitatis ſuaſores. Itaque ſi velint alios lauari Baptiſmo, & niueo quaſi lacte dealbari, oportet & ipſi mundi ſint: ſi velint alios pœnitentiæ lacrymis lauari, oportet & ipſi ſæpè eas ſordes abluant, quas mundana conuerſatione contrahunt. Solent enim columbæ ſæpè ſe lauare, & candidiores in pretio haberi. Sanè Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ ad aquas Iordanis baptizato Domino adeſt: & olim in baptiſteriis columbæ figuram fuiſſe, patet Synodo Nicæna II. Act. 5. & frequenter Sanctorum animas in columbæ ſpecie viſas eſſe de corpore migrare, teſtãtur hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Videre licet Baronium in Martyrologio 10. & 12. Februarij; & alibi de S. Tereſia idem teſtatur Vita ipſius. Meritò ergo in Eccleſia ſanctificationis hieroglyphicum eſt columba. Tertium notatur illis verbis, QVÆ RESIDENT IVXTA FLVENTA PLENISSIMA. Debent enim Eccleſiæ Prælati aſſidui eſſe in euoluẽdis libris ſacræ Scripturæ: quæ FLVENTA ſunt PLENISSIMA, quia profundi ſenſus & inexhauſti, ſemperque ſuppeditant quod lectorem & ſcrutatorem ſuum cautiorem,

 purio-

puriorem & ſanctiorem faciat, alioſque facere doceat. Ceterùm rectè monuit Theodoretus, oculos Sponſi non comparari oculis columbarum, ſed ipſis columbis; vt immeritò Vatablus verterit, *Oculi eius vt colũbarum.*

XIII. GENÆ ILLIVS SICVT AREOLÆ AROMATVM, CONSITÆ A PIGMENTARIIS.] GENÆ quia in capite ſunt, præcipuos exprimunt fideles, qui vita ſua & moribus indicant Chriſtianam modeſtiam, & ingenuum pudorem: etiam de propriis laudibus quaſi erubeſcunt, turpia autem ne audire quidem poſſunt. Rotundis areolis aromatum comparantur, quia genæ pulchræ ad rotunditatem vergunt. Comparantur autem areolis aromatũ; quia boni odoris, id eſt bonę famæ, aromata, id eſt virtutes, ſeſe vel maximè oſtentant in verecundia genarum, eò pulchriores, quò verecundiores: & quaſi ſeipſas abſcondendo, luminis ſui ſplendido rubore produntur: affectuum enim loquaciſſimæ ſunt genæ. CONSITÆ ſunt illæ AREOLÆ A PIGMENTARIIS, inſigni artificio à Deo infuſæ virtutes, cooperantibus verbi Dei ſeminatoribus, tamquam cooperariis ſummi illius pigmentarij, qui ſolus dat incrementum.

LABIA EIVS LILIA DISTILLANTIA MYRRHAM PRIMAM.] Mirabitur quis, quæ communio ſit liliorum cum myrrha? At ſanè

nè erit quàm maxima, si lilium virginitatem, & myrrham mortificationem esse memineris. LABIA Christi sunt prædicatores Euangelij, quod est tamquam lilium, quia eloquia Domini casta, lex Dei immaculata. Distillant ergo auditoribus castitatem virgineam, & MYRRHAM PRIMAM, siue optimam, hoc est, Christi Passionem, totamque vitam, quæ exemplum fuit mortificationis. Euangelij præcones non prædicant semetipsos, non dicunt placentia carni; sed quæ domandæ carni seruiant: hortantur ad sequendum Sponsum crucifixum, secundùm illud Apostoli, *Nos prædicamus Christum crucifixum.* ideò autem crucifixum, vt nobis immortalitatem myrrha suæ Passionis compararet, vt nos redimeret, eiusque redempti vestigia sequeremur. Hæresis est inter opera carnis, lilium non est: virginitatem vt impossibilem abominatur: myrrham non distillat, quia mortificationem non prædicat, sed carnis libertatem. Beda dicit, Christi labia tunc esse lilia, quando suæ diuinitatis & humanitatis prædicit gloriam; distillare autem myrrham, quando suam prædicit Passionem.

MANVS ILLIVS TORNATILES AVREÆ, PLENÆ HYACINTHIS.] MANVS Christi Domini dicuntur TORNATILES, quia in operatione veloces, manus enim opera hîc designant, XIV.

ſignant, ſicut genæ cordis cogitationes, & labia ſermonem. Sanè in ſermone velocitas non commendatur, ſed potiùs tarditas. *Sit omnis homo*, inquit Iacobus, *tardus ad loquendum.* In opere autem velocitas commendatur. Prou. 22. *Vidiſti virum velocem in opere ſuo? coram Regibus ſtabit.* Verùm Chriſti velocitas in opere ſuo planè Regia & aurea fuit. Nec mirum: obediebat enim ei creatura, & ſolo nutu ea quæ volebat operabatur: imò etiam de corde humano formabat qualia volebat vaſa, vt figulus de luto, & tornator de ligno: erat enim omnis eius operatio theandrica; ideoque non hîc fuerit opus niſi aureum. Vnde & manus eius dicuntur AVREÆ: aurum enim diuinitatis omne opus Chriſti deificabat, ideoque erat Regia potentia & maieſtate plenum. Neque hoc ſolùm, ſed & erant manus eius PLENÆ HYACINTHIS: quia cæleſtis intentio ſereni cæli colorem conferebat Chriſti actionibus, ita vt inſtar hyacinthorum fulgerent, qui aërij ſunt coloris, & auertendæ peſti dicuntur plurimùm conducere. Sanè intentus animus ad cæleſtia, actionem à corruptione ſeruat.

Per MANVS in corpore Chriſti rectè intelliguntur qui eleemoſynas largiuntur; & ſi non ſcientia & verbi miniſterio, ſaltem bonis operibus inſiſtunt. Sunt iſtæ manus PLE-

NÆ

NÆ HYACINTHIS, quia cæleſtia dona ſimul cum corporalibus præbent: ſunt enim eorum opera miſericordiæ corporalia & ſpiritualia, vt non tantùm aurum, ſed & virtutum per eas dentur hyacinthi.

Vatablus vertit hoc modo: *Manus eius vt annuli aurei, repleti lapidibus pretioſis inſtar hyacinthi.* Verùm quamuis in idem hæc pænè recidant, Vulgatæ tamen, quam etiam veteres magis ſecuti ſunt, inhærendum eſt. Rectè Beda obſeruat, ideò poſſe dici manus Chriſti tornatiles, quia ſicut tornando aliquid facientes non ita indigemus externa regula, ſed in ipſo quo vtimur ferramento directionem noſtri conſeruare valemus operis; ita manus Domini in promptu habet facere quæ vult, quia dicit & fiunt. Cui adde, quòd vt iudicia Domini recta ſunt & iuſtificata in ſemetipſa; ita & omnia opera Chriſti, eoipſo quo ipſius ſunt, ſancta & diuina ſunt.

VENTER EIVS EBVRNEVS, DISTINCTVS SAPPHIRIS.] VENTER in myſtico Chriſti corpore ſunt coniugati; qui EBVRNEVS eſt, quia magna conſtantia caſtitatem coniugalem ſeruant. Ebur enim & candidum, & ab animante caſto deciſum, eſt ſoliditatis firmę. dicunt enim elephantos naturâ ſuâ valdè caſtos eſſe, & ſanguinis frigidioris. Eburneus venter fit per conſtantiam caſtitatis, qui naturâ

turâ ſuâ omni oſſium firmitate caret. Eſt inſuper venter ille DISTINCTVS SAPPHIRIS, non plenus ſapphiris, vt manus erant plenæ hyacinthis; quia hyacinthi ibi erant ad dandum, hîc ad ornãdum ſunt ſapphiri. Quamuis enim etiam lapis iſte caſtitatis ſit index; eboris tamen ſoliditatem non debebat omnino contegere, ſed per interualla diſpunctus potiùs illuſtrare. Oportet etenim ita coram hominibus lucem noſtram lucere, vt ſoliditas conſcientiæ interna non omnino inteſtata remaneat. Sapphirus ergo exteriùs radians, non occultet ſoliditatem candoris intus & medullitus ſtabilitæ in fidelibus coniugibus caſtitatis. Beda ſignificatum putat, in Chriſti carne defuiſſe peccati corruptionem, ſicut in oſſe mortui elephantis ardor concupiſcentiæ non eſt: item per diſtincta Chriſtũ interualla diuinitatis ſuæ indicia per opera cęleſtis virtutis, quæ nemo alius fecit, dediſſe: iſta autẽ opera rectè per ſapphiros eſſe ſignificata; quia ſapphiri color eſt ſicut cęli quando ſerenum eſt, Exodi 24. ita vt meritò aptus cenſeatur cæleſti virtuti ſignificandæ.

CRVRA ILLIVS COLVMNÆ MARMOREÆ,
XV. QVÆ FVNDATÆ SVNT SVPER BASES AVREAS.] CRVRA quæ Chriſtum portant per mundum, non malè Apoſtoli intelliguntur, qui ſicut COLVMNÆ ſunt, & in Scripturis colum-

lumnæ vocantur: quia ipſis nititur Eccleſiæ corpus tamquam columnis. Eſt & in eo ſimilitudo, quòd vt columnæ rectæ ſunt, & cælum petunt, ita Apoſtolicæ prędicationis rectitudo in cælum ducat. Sunt COLVMNÆ MARMOREÆ propter fortitudinem & conſtantiam, ſiue perſeuerantiam. marmor enim duritie ſua & pondere ſtabile eſt & forte. Ideò in cruce non fracta Domini crura, vt ſignificaretur, marmoreo & infracto robore per Apoſtolos tamquam per ſuos pedes Chriſtum inuitis tyrannis per totum orbem deferendum.

BASES pedes ſunt. Actor. 3. *Conſolidatæ ſunt baſes eius & plantæ.* Aureæ ſunt hæ baſes; quia ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. Pedes aurum mundum ſunt, ſicut caput, quia ipſe eſt *α* & *ω*. ipſe oſor ferreę diſcordię, Rex pacificus: ipſe charitatis aurum adfert, & in pace factus eſt locus eius: ipſe caput, & fundamentum: ipſe pedibus ſanctorum Apoſtolorum, hoc eſt, affectibus tribuit vt aurei ſint, hoc eſt, in fide quæ per dilectionem operatur, fundati & ſtabiliti. Deo inhærent, auro nituntur charitatis, ſecundùm bina charitatis præcepta gradientes. Coloſſi, Danielis cap. 2. pedes erant partim ferrei, partim teſtacei: pedes noſtri Salomonis aurei. quia homo ſibi

reli-

relictus, aut ferrugine interit, aut in puluerem suum reuertitur, & mundana gloria in fumum abit. Sponsus autem dicit Isaiæ 60. *Locum pedum meorum glorificabo.*

SPECIES EIVS VT LIBANI, ELECTVS VT CEDRI.] Libanus erat mons speciosus, quem Moyses videre desiderabat, Deut. 3. Cedri Libani valdè proceræ, bonæ, electæ. Faciem ergo & effigiem totumque habitum Dilecti vno verbo describere volens Sponsa, dicit esse pulcherrimum aspectu; & vt est species Libani inter montes, ita Dilectum suum esse speciosum præ filiis hominum: & vt cedrus eminet inter arbores proceritate, incorruptibilitate, odore & oleo præstans; ita Dilectum eminere inter omnia quæ amabilia sunt. De cedreo oleo Vitruuius lib. 2. & alij tradunt, quòd eo vnctæ res à tineis & à carie non lædantur. Participes olei, quo Christus vnctus est præ participibus suis, non gustant mortem, sed in æternum ab omni corruptibilitate conseruantur; si tamen (vt monet Ioannes Epist. 1. cap. 2.) vnctio quam habent à Sancto maneat in eis.

XVI. GVTTVR ILLIVS SVAVISSIMVM, ET TOTVS DESIDERABILIS.] In gutture formatur vox qua cordis verbum enuntietur. Rectè ergo per GVTTVR meditatio, qua verbum Dei versando in sensu suo ruminamus & formamus.

mamus. in qua meditatione ineffabilis reperitur ſuauitas: quia in ea inuenit homo ſolamen omne colloquij diuini, conſolationem in detectione defectuum ſuorum, & remediorum contra eoſdem: inuenit guſtum & delicias verbi diuini, omnemque ſpiritualem animæ ſuæ recreationem. Poteſt ergo in gutture, vt inquit Beda, ipſa interna ac occulta diſpoſitio pietatis Sponſi ac benignitatis, qua factum eſt vt foris nobis loqueretur, intelligi.

Addit denique epiphonema laudum ſui Sponſi, dicens: ET TOTVS DESIDERABILIS. Quaſi dicat: Miratæ eſtis me ipſum quærere: en ipſæ videte, an non eum meritò deſiderem, & quæram, qui ita tantus quantus ſuo eſt corpore perfectus, vt meritò ipſe ſit deſiderium collium æternorum.

TALIS EST DILECTVS MEVS, ET IPSE EST AMICVS MEVS, FILIÆ IERVSALEM.] Habetis filiæ Ieruſalem qualis ſit DILECTVS MEVS, quem ego diligo: ET IPSE EST AMICVS MEVS, quia & ipſe me diligit.

Permotæ his Dilecti laudibus filiæ Ieruſalem, hoc eſt, adoleſcentulæ, & adhuc incipientes in Sponſi amore, & ad thalamum eius aſpirantes, Sponſæ arctiùs volunt adhærere, & tamquam diſcipulæ inſtrui ab ipſa, ideoque dicunt:

QVO ABIIT DILECTVS TVVS, O PVLCHER- XVII.

RIMA MVLIERVM?] Quaſi dicant: Dixiſti, ſi inueneritis Dilectum meum, annuntiate ei quia amore langueo: tu nobis potiùs dic quò abierit is quem amas, & à quo etiam meritò tu amaris, cùm ſis PVLCHERRIMA MVLIERVM. Pulcherrima mulierum eſt Eccleſia vniuerſalis: à qua meritò particulares Eccleſiæ, vbi inueniendus ſit Chriſtus quærunt.

QVO DECLINAVIT DILECTVS TVVS?] Ne dicas te ignorare quò abierit, ideoq; eũ quærere: ſaltẽ dic nobis, quando à te receſſit, quò putes eum declinaſſe, ET QVÆREMVS EVM TECVM, vt eum tibi & nobis inueniamus: tibi recuperaturæ, nobis arctiùs deuincturæ.

Hîc diſcimus, quomodo etiam docere queat aliquis alium obtinere bonum quod ipſe non habet: præcipuè quando hoc ipſum cum humilitate fatetur ſe non habere.

Sunt qui verba iſta, QVO ABIIT DILECTVS TVVS, Iudæis ſe in fine mundi ad Chriſtum conuertentibus accommodent, quaſi ab Eccleſia volentibus diſcere vbi Chriſtum inuenire poſſint.

Obſeruandum, Chriſtum non deſerere Eccleſiam ſuam, cum qua eſt vſque ad conſummationem ſæculi; ſed abeſſe interdum vt conſolatorem, quamuis adſit vt adiutor: qui autem ipſum inuenire deſiderat, quærat eum cum Eccleſia.

SECTIO

SECTIO VII.

Sponsa gratulatur sibi de inuento Sponso, & iterùm ab ipso laudatur.

CAP. 6. *versu* 1. 2. 3. 4.

1 DIlectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, vt pascatur in hortis, & lilia colligat. 2 Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia. 3 Pulchra es amica mea, suauis & decora sicut Ierusalem: terribilis vt castrorum acies ordinata. 4 Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt.

DILECTVS MEVS DESCENDIT, &c.] Philo dicit esse responsum ad interrogata in fine præcedentis Capitis. Discesserat ad tempus Sponsus à Sponsa, vt ipsa vacans ab abstractiori colloquio cum Sponso, quod per contemplationem habebat, melius intenderet sodalibus & adolescentulis curandis: ideò quando ipsa adolescentulas eò perduxerat, vt secum iam Sponsum quærerent, ei gratificari vult Sponsus: & cogitationem immittit, I.

 Spon-

Sponſum ſuum, quem fruſtrà quæſierat alibi, eſſe in horto ſuo, & deſcendiſſe eum qui in altum auolauerat, in hortum, hoc eſt in Eccleſiam vniuerſalem, AD AREOLAM AROMATVM. Ad eos enim in Eccleſia diuertit Sponſus, qui in ea digni ſunt: quales ſunt qui virtutum aromatibus ſpirant, & ſunt bonus Chriſti odor. Delectatur namque Sponſus fidelium conuerſione, & bonorum operum thymiamate. Ezech. 20. *In odorem ſuauitatis ſuſcipiam vos.* Sponſus in hortum deſcendit, Sponſa aſcendit vt virgula fumi: ipſa aſcendit proficiens, Sponſus deſcendit vt profectum daret; quia in altis habitat, & humilia reſpicit.

VT PASCATVR IN HORTIS, ET LILIA COLLIGAT.] Deſcendit ad areolam aromatum, vt paſcat, & PASCATVR IN HORTIS. Vbique in Eccleſiis particularibus paſcitur ab illis qui faciunt voluntatem Patris ſui. Dicit enim Ioan. 4. *Meus cibus eſt vt faciã voluntatem eius qui miſit me, vt perficiam opus eius.* Cùm autem Pater eius agricola ſit; non mirum ſi ipſe vt hortulanus, Patris voluntatem facere cenſeatur, quando per ſe, & per ſuos operarios maturitatem & meſſem aromatum promouet, & LILIA colligit, præſtantes candore virginitatis, & intus deuotione ſuccenſos, & ad triumphantem Eccle-

ſiam,

ſiam, tamquam ſertum quoddam ad ornatum decerptum transfert, donatq́ue immarceſcibili corona, ſua tamen dona coronans: quia vt tam placida eſſent & pulchra, ipſe lilia veſtiuerat.

EGO DILECTO MEO, ET DILECTVS MEVS MIHI.] Ruit in amplexus Sponſi ſui Sulamitis; qui etiam vltrò occurrit, & ſe offert. Vbi diſcimus, eos qui ſe curandis animabus dant, debere ſemper anhelare ad Dei conſortium & familiaritatem in oratione & colloquio diuino. Deſiderium enim iſtud, etiam interdum auolanti Sponſo gratum eſt. Ne autem putes, in hac mutui amoris fruitione, & mutua Sponſi & Sponſæ inter ſe deditione, aliud eſſe præter caſti amoris ecſtaſim, addit Sponſa: II.

QVI PASCITVR INTER LILIA.] Hoc eſt, qui ſingulariter afficitur illis qui in caſtitate virginea viuunt: ſicut enim iſti ſequuntur Agnum quocumque ierit; ita & Sponſus delicias ſuas primas ponit in ipſis. Voluntatem enim Dei Patris faciliùs implent, qui hîc carnem ſuam crucifigunt cum vitiis ſuis & concupiſcentiis, quæ non ſunt ex Patre.

PVLCHRA ES AMICA MEA, SVAVIS ET DECORA SICVT JERVSALEM.] Laudat Sponſam Salomon quòd in proſperis & aduerſis conſtans ſibi fuerit, quòd in omnibus San- III.

ctis pulchra, & in Martyribus fortis appareat. PVLCHRA ES, inquit, AMICA MEA, imò pulcherrima mulierum. Pulchra es in omnibus viuis membris tuis: quia castitatem colunt, fide clarent, charitate aurea rutilant. SVAVIS ad alliciendum filias Ierusalem. Suauis etiam verbo; quia eloquium tuum dulce, vt suprà dictum est. DECORA es in iis qui laborant in ministerio verbi, qui disponunt sermones suos in iudicio, & non vt seminiflui verba profundunt, vbi auditus non est; sed loquuntur verbum in tempore suo: dant cibum in tempore, & decorem seruant dum loquuntur. Etiam DECORA ES SICVT IERVSALEM, cuius decor tantus, vt Thren. 2. dicatur ciuitas perfecti decoris. Cælestis etiam ciuitatis Ierusalem decorem & ornatum imitatur Ecclesia, de qua dicitur Apoc. 21. *Vidi sanctam ciuitatem Ierusalem nouam descendentem de cælo à Deo, paratam, sicut sponsam ornatam viro suo.*

Dixit Sponsus de pulchritudine Sponsæ, quam habet etiam in pace, quando rectè visioni pacis comparatur. Verùm subiicit sequentibus verbis de fortitudine eius in rebus aduersis:

TERRIBILIS VT CASTRORVM ACIES ORDINATA.] Adeò enim fortem prædicat, vt non tantum hostem vincat, sed etiam ei sit

TERRIBILIS. ita doctas habet manus ad prę-lium,& digitos ad bellum contra viſibiles & inuiſibiles hoſtes. Contra carnem certat continentiâ : contra mundum, contemptu diuitiarum,& humilitate: contra nequitiam multiformem diaboli,armaturâ Dei. Armatura autem Dei, qua Eccleſia ſuis hoſtibus, præſertim portis inferi,ita terribilis eſt, deſcribitur apud Apoſtolum ad Epheſ.6. *State ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induti loricam iuſtitiæ, & calceati pedes in præparatione Euangelij pacis : in omnibus ſumentes ſcutum fidei,in quo poſsitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere: & galeam ſalutis aſſumite; & gladium ſpiritus,quod eſt verbum Dei.* Quo etiam contra hæreſes & quoſuis errores feliciter dimicat, Deo ſemper exorta aliqua hæreſi prouidente, vt viciſſim econtrà exurgat aliquis egregius Eccleſiæ ſuæ pugil.

AVERTE OCVLOS TVOS A ME, QVIA IPSI ME AVOLARE FECERVNT. Monet Sponſus Sponſam, ne nimiùm dedita ſit contemplationi, & ne eam nimiùm protrahat; alioqui futurum iterùm, quod aliàs factum eſt, vt Sponſus volens eam ſe dedere conuertendis animabus, iiſque curandis, ſeſe ac dulcedinem viſionis ſuæ, quæ eſſe ſolet in contemplatione, ſubtrahat, eò auolans quò ipſa ſequi non poſſit: vt nimirum eius potiùs ſe- IV.

quatur & exequatur præceptum de cura animarum. Poteſt etiam ſic accipi, vt moneatur Sponſa, non nimis ſcrutari maieſtatem Sponſi, ne in hac vita plus velit intelligere quàm eius mediocritas permittit: vt auolare dicatur Sponſus, quando auerſa Diuinitatis facie, ad poſteriora humanitatis curioſum ſcrutatorem remittit. Conformia his habet Philo. Diſcimus autem ex hoc loco, non benè eos facere, qui relicta meditatione mandatorum Dei, vitæ & Paſſionis Chriſti, per raptus extolli volunt antequam à Deo rapiantur. Vnde Beda dicit, quòd Sponſus hortetur Sponſam iſtis verbis, vt diſcreta ratione temporum non quærat in hac vita pręmium quod ei reſeruatur in patria: ſed meminerit interim quòd per fidem ambulare debeat, vt peruenire poſſit ad ſpeciem.

SECTIO VIII.

Sulamitis curans animas, deſcribitur & laudatur.

CAP. 6. *verſ.* 4. 5. 6. 7. 8. 9.

4 CApilli tui ſicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad.
5 Dentes tui ſicut grex ouium, quæ aſcen-

ascenderunt de lauacro, omnes gemel-
lis fœtibus, & sterilis non est in eis.
6 Sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ
absque occultis tuis. 7 Sexaginta sunt
Reginæ, & octoginta concubinæ, &
adolescentularum non est numerus.
8 Vna est columba mea, perfecta mea,
vna est matris suæ, electa genitrici suæ.
Viderunt eam filiæ, & beatissimam
prædicauerunt; Reginæ & concubinæ,
& laudauerunt eam. 9 Quæ est ista, quæ
progreditur quasi aurora consurgens,
pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis
vt castrorum acies ordinata?

CAPILLI TVI, &c.] Repetitur laus IV.
Sponsæ, quam habet à capillis, den- V.
tibus & genis, posita & exposita su-
prà Cap.4. Ideò autem hîc repeti-
tur, quia post labores in cura animarum, po-
terat videri Sponsa detrimentum aliquod
suæ formæ fecisse. Recognoscit Sponsus, &
non minutam, sed auctam laudat. Fortè &
hoc dici potest: Cap.4. hæc verba posita es-
se propter conuersos ex Gentibus, nunc au-
tem repeti propter cõuertendos in fine mun-
di ex Iudæis. Cui non parum fauet, quòd in VI.

genarum descriptione hîc non fragmen mali punici, sed CORTEX quasi integer ponatur: quia nimirum Cap. 4. agitur de Ecclesia, in quam nondum plenitudo Gentium intrauerat; hîc autem de statu quem eo tempore habitura sit, quando plenitudo Gentium intrabit, & omnis Israel saluus fiet: Rom. 11.

VII. SEXAGINTA SVNT REGINÆ.] Vt Sponsus semel dicat quanti suam Sponsam faciat, quatuor gradus facit animarum se diligentium. In summo gradu est Sponsa, de qua inferiùs. In secundo gradu descendendo est anima, quæ Deum propter ipsum Deum diligit, Christoque tamquam viro suo adhęret. In eo gradu sunt animæ quæ dicuntur Reginæ: quia non tantùm tori, sed etiam coniugalis honoris participes sunt, ita vt si Sponsus sit Rex, ipsæ sint Reginæ. In hoc gradu sunt perfectionis studiosi, eamque pro imbecillitate humana quæ in hac vita est amplectentes: qui non tantum Deum propter temporalia non colunt, sed etiam propter ipsum ea relinquunt. Illorum ergo animæ Reginæ sunt, in quibus perfecta charitas foras mittit timorem.

In tertio gradu sunt, qui seruitutis aliquo modo spiritum adhuc habent, & cum Sponso familiaritatem non habent, sed ei tamen per fidem & charitatem adhærent. Ideoque

eorum

eorum animæ in concubinis Regiis accenſentur, hoc eſt, in numero ſunt ſecundariarum vxorum. Tales ſunt animæ eorum qui ſæcularia negotia curant, ita tamen vt cor non apponant diuitiis, & frequenter ſuo tempore ſeſe recolligunt, quaſi in thalamum Sponſi ſe recipientes.

In quarto gradu ſunt adoleſcentulæ, quæ quidem de aula Regis, hoc eſt, de Eccleſia ſunt; ſed non ita ſunt in fide ſtabiles, vt non aliquando diffluant & decidant. Neque ad thalamum Regis perueniunt, quia nimiùm ad externa & temporalia effuſæ ſunt. Tales ſunt animæ communium Catholicorum, quorum ſermo continuus, omniſque cura de eſt rebus mundanis, de nuptiis filiorum, aliiſque rebus huius ſæculi; valdè parum paratæ ad occurrendum Sponſo, aut ad nuptias ſpirituales.

Verùm quid ſibi vult, quòd ſumma Regina vna, Reginæ ſexaginta, & concubinæ octoginta, adoleſcentularum autem non ſit numerus? Vnitas perfectæ illius Sponſæ Eccleſiam vnam Catholicam deſignat. Sexagenarius numerus perfectus eſt: meritò ergo illo numero indicantur perfectioni addictæ animæ, quæ Reginæ ſunt. Quia verò octogenarius non ita perfectus eſt, & nihilominùs eſt maior; indicatur eo inferior ſtatus concubina-

binarum, & maiorem earum eſſe numerum quàm Reginarum: ſicuti communis populi Deum timentis numerus maior eſt eorum numero qui perfectioni addicti ſunt. ADOLESCENTVLARVM autem NON EST NVMERVS: quia imperfectorum, qui parum ad ea quæ pietatis & perfectionis ſunt attendunt, infinitus eſt numerus; aut quia nondum per Dei electionem ſe electos oſtendunt, licet in Eccleſiæ atrio diſcurrant, & ad vocatos pertineant, numerati non cenſentur. nondum enim per bona opera certam ſuam vocationem fecerunt, nondum ad electos capillos capitis iſtius aurei, à Deo numeratos, quorum nullus peribit, ſpectare dignoſcuntur: ſed ſunt ex illis, de quibus accipi poteſt, ſecundùm intellectum quorùmdam Patrum, illud Pſalmi 39. *Annuntiaui & locutus ſum: multiplicati ſunt ſuper numerum.* hoc eſt, vocati quidem cum multis, ſed ſupra numerum electorum. Beda per Reginas eas animas intelligit, quæ intuitu Regni cæleſtis, doctrinæ inſeruiunt; per concubinas verò illas, quæ intuitu temporalium commoditatum Chriſtum annuntiant, & per occaſionem, vt Apoſtolus loquitur. Priores, ſex huius creationis diebus Decalogum ſeruantes, ſexaginta ſunt: poſteriores octoginta, quia mundi huius ſerui ſunt, in quo quatuor tempora & qua-

quatuor climata octonarium faciunt. Propter mundum ergo Decalogum prędicantes, ad octoginta pertinent concubinas. Adolescentulas Beda intelligit, quæ non prædicant Christum, sed in eum crediderunt: cui tamen alios docendo generare non possunt. Concubinas tamen hîc non accipi in malam partem, suadet quòd infrà laudent Sponsam, earumque laus magni fieri videatur.

VNA EST COLVMBA MEA, PERFECTA MEA.] Sulamitis perfectam significat aut pacificam, vt Salomoni vero etiam in hoc sit similis. Columbæ qualitates suprà attigimus. Quasi dicat: Reginæ quamuis perfectioni sint addictæ; vna tamen mea columba eam iam est assecuta, & in mortali vita meis charismatibus perfecta, cælestis vitæ specimen exhibet. Vna est columba, vna Ecclesia Catholica. Vna, quia diuisionem schismatis nescit. Vna est, quia non alia ante Legem, alia sub Lege, alia sub gratia, alia de circumcisione, alia de præputio collecta. Vna à solis ortu vsque ad occasum: vna ab Aquilone & mari, imò & per totum Orientem, per totum Occidentem, per totum Meridiem, & per totum Aquilonem, adeoque per totum orbem vna. Vnde obseruat Beda, Catholicam esse dictam: & hoc insinuatum esse dicit Actorum cap.9. *Ecclesia quidem per totam Iudæam*, &c. VIII.

vbi

vbi enim Latinè est *per totam*, Grçcè est καθ'-ὅλης. Est ergo Ecclesia Catholica, quia per totum tempus vna, quia per totum mundum vna; vna quia vnam vbique fidem prædicat, & vnum habet Spiritum sanctum quo regitur: quare etiam columba dicitur.

VNA EST MATRIS SVÆ.] Mater nostra est cælestis Ierusalem, quæ sursum est, & libera est: Galat.4. Mater inquam Ecclesiæ militantis est illa gloriosa quæ sursum est: nemo enim ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis qui est in cælo. Et tabernaculum fieri iubetur secundùm exemplar quod in monte monstratum est: & Ioannes videt ciuitatem sanctam descendentem de cælo. Est autem Sulamitis VNA MATRIS SVÆ: quia & Salomon vnigenitus erat coram matre sua: Prou. 4. Sanè vt vnus est Christus, vnus Deus, vna fides, vnum Baptisma; ita & Ecclesia vna est. quæ licet in se contineat adolescentulas illas quarum non est numerus; ipsa tamen ELECTA est GENITRICI SVÆ. Est enim pro societate Angelorum implenda congregata in terris ciuitas Dei, quæ de cælo descendit; extra quam nulli sunt finaliter electi. imò & ipsa tota est electa; quia rete bonorum piscium est, & mali in ea non semper manent, sed tandem in littore maris, id est in fine sæculi eiiciuntur. Piscatio enim

enim eſt bonorum, licet mali etiam retibus inuoluantur. Vnde meritò dicitur genus electum, gens ſancta, 1. Petr. 2. & in Symbolo Sancta vocatur Eccleſia. Beda putat per genitricem Eccleſiæ poſſe intelligi Spiritum ſanctum, quia ipſa nata eſt ex Spiritu: quem commentarium iuuat, quòd Hebræis ſpiritus ſit feminini generis.

VIDERVNT EAM FILIÆ.] Non tantùm Sponſo dilecta, non tantùm matri ſuæ electa; ſed ita inſignis per omnia, vt omnes filiæ, omnes adoleſcentulæ, omnes Reginæ, omnes concubinæ ei primas detulerint. Nam filiæ viderunt eam, ET BEATISSIMAM PRÆDICAVERVNT. Mirantur imperfectiores quod non capiunt: ideò filiæ beatiſſimam dixerunt, Reginæ autem & concubinæ, quaſi magis conſciæ virtutum, laudauerunt eam. Extra omnem inuidiam eſt, ab omnibus laudatur, inexhauſtæ ſunt Sponſi deliciæ, nulla alteram impediet. Nec hoc mirum quòd vni Sponſæ omnes benè volunt: nam & ipſa omnes adoleſcentulas virgines caſtas vni viro Chriſto exhibere deſiderat: omnibus etiam Sponſi ſui amplexum optat; & illis quæ eam ſecum quæſierunt, optat & ipſum inuenire ſecum, & frui ſanctæ contemplationis deliciis.

QVÆ EST ISTA, QVÆ PROGREDITVR

QVASI AVRORA CONSVRGENS, PVLCHR. VT LVNA, ELECTA VT SOL.] PROGREDI TVR Ecclesia QVASI AVRORA. Primò, qui semper ductu Dei, qui portat omnia verb virtutis suæ, cursum suum seruat, totiqu mundo paulatim lucem suam ostendit Hanc directionem Dei esse, docemur Iol cap.38. *Numquid post ortum tuum præcepist diluculo, & ostendisti auroræ locum suum?*

Secundò, quia Ecclesia licet in Apostoli plenum fidei lumen,&omnium credibiliun scientiam seu cognitionem haberet; tamer illud lumen paulatim progrediendo mundo ostendit,non simul effudit.

Tertiò,quia Ecclesia in Lege naturæ pos lapsum habuit quasi diluculum suum:poste sub Lege vt luna fuit, tempore autem Euan gelij vt sol.

Quartò,quia initio tamquam aurora ro seo colore fuit, propter martyria fidelium posteà victis persecutionibus, pulchra fuit v luna, vbi autem plenitudō Gentium intra uerit, & Iudæi conuertentur, erit Ecclesi electa vt sol in futura vita, quando iusti ful gebunt sicut sol.

Quintò, Ecclesia PROGREDITVR TAM QVAM AVRORA CONSVRGENS in catechi zandis illis qui primùm ad fidem accedun clariùs se ostendit tamquam luna apud pro

ficientes

ficientes; qui tamen interdum quasi in lumine decrescunt, quando post primum feruorem tepescunt. Denique apud perfectos solis lumine sese manifestat.

PVLCHRA VT LVNA.] Quia à Sole iustitiæ illustrata, inquit Beda. Ecclesia militans rectè comparatur lunæ: quia quamuis detrimenta sæpè per hostes infernales, & portas inferi, patiatur; semper tamen cum fœnore à Sole iustitiæ restauratur: in hoc solo dissimilis lunæ, quòd ne quidem ad momentum silentia sua habeat plenamque eclipsim: Ecclesia enim Christi numquam desinit esse visibilis, quamuis vno tempore sit illustrior quàm alio. Est etiam ELECTA VT SOL, quia post consummationem sæculi erit lux lunæ sicut lux solis: Isaiæ 30.

TERRIBILIS VT CASTRORVM ACIES ORDINATA.] Quia quò perfectiùs in se ordinatam habet charitatem reliquasque virtutes, eò est terribilior aëriis potestatibus. Ordinat autem sic actiones fidelium, & tamquam aciem instruit, quando bono ordine curat, vt minora maioribus non sint impedimento; quomodo non benè aciem instruebant Pharisæi, qui excolabant culicem, deglutientes camelum. Si enim ieiunium hîc & nunc charitati non militet, docet Ecclesia suos fideles, quomodo ad tempus ab acie

I sub-

ſubmouendum ſit. atque ita in ceteris, per quæ à grauioribus Legis impediremur: quando autem non impediremur per illa minoris momenti, locum habet, *Hæc oportet facere, & illa non omittere.* Numquam autem oportet omittere ex acie ſpiritualis belli, fidem, ſpem, charitatem, & pietatem quæ ad omnia vtilis eſt. Ita explicat Venerabilis Beda.

SECTIO IX.

Sulamitidis ſollicitè viſitantis & curantis ſibi commiſſas animas zelus deſcribitur.

CAP. 6. *verſ.* 10. 11. 12. & CAP. 7. *v.* 1.

10 DEſcendi in hortum nucum, vt
viderem poma conuallium, &
inſpicerem ſi floruiſſet vinea, & germi-
naſſent mala punica. 11 Neſciui: anima
mea conturbauit me propter quadrigas
Aminadab. 12 Reuertere, reuertere Su-
lamitis: reuertere, reuertere vt intuea-
mur te. 1 Quid videbis in Sulamite, niſi
choros caſtrorum?

X. DESCENDI IN HORTVM NVCVM.] Multi putant hęc eſſe verba Sponſi: ita Philo & Anſelmus. pro qua expoſitione facit, quòd ipſa Eccleſia ſit hortus. Sed

Sed benè dicit Beda, per Superiores siue Doctores Ecclesiæ Sponsam descendere in hortum, & inspicere quomodo plantæ fructificent. Cessat hîc ergo obseruatio cuiusdam sectarij hinc trahentis, Christum ita in horto suo, hoc est Ecclesia, cuncta disposuisse, vt Apostolus eius dicere non potuerit: *Cetera, cùm venero, disponam*. Itaque Sulamitis à Sponso edocta, quàm sibi gratam rem præstet curando animas, visitat hortum suum, & à monte contemplationis descendit in HORTVM NVCVM, hoc est, in exteriorem partem horti, vbi nuces plantari solent quæ à transeuntibus saxis petuntur. Itaque significantur nutantes & pulsati tentationibus. Qui primi visitandi sunt, quia magis indigent: illi enim verè sentiunt incommoda militantis Ecclesiæ, & magis sunt vulneribus expositi. In nucibus exteriùs est insipidum quid, nucleus autem dulcis in internis latet: ita in Ecclesia huius vitæ proximorum nos conscientiæ latent; & fieri potest, vt frater quem iudicas secundùm faciem, te melior sit in nucleo suæ cõscientiæ. Aliter per nucis corticem intelligi potest correptio & labor continentiæ, & per nuclei dulcedinem fructus disciplinæ; quæ in præsenti quidem videtur nõ esse gaudij sed mœroris, posteà autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddit iustitiæ.

At in hoc nucum horto etiam viſitanda occurrunt POMA CONVALLIVM. hoc eſt, poma in pingui & lutoſa terra creſcentia, quæ facilè etiam à luto maculantur, vt hîc iterùm videamus neceſſitatem viſitationis. Tales ſunt Chriſtiani, qui licet nihil exteriùs ab hoſte patiantur, vt nuces, & vt ſemen quod ſecus viam decidit; tamen inteſtinum ſuum hoſtem non vincunt, ita vt ſemen eorum videatur cecidiſſe inter ſpinas, quia à ſollicitudinibus & diuitiis (ecce abundantiam & pinguedinem conuallium) & voluptatibus vitæ (ecce lutoſas ſordes) ſuffocantur & non referunt fructum. Multos à fructu auocat perſecutio, plures abundantia panis.

ET INSPICEREM SI FLORVISSET VINEA, ET GERMINASSENT MALA PVNICA.] Per vineam, Eccleſiaſticum fidelium cœtum ſiue communitatem fidelium intelligo. Floret iſta vinea, quando Deo incrementum dante ſpem facit productionis vuarum, hoc eſt, bonorum meritorum, quibus perueniatur ad lætitiam ſempiternam per vinum ſignificatam. Germinant autem mala punica, quando ex doctrina Eccleſiæ, auſteræ vitæ fideles ſe dedunt; & Domino dicere poſſunt: *Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras:* Pſal. 16. Indicat hoc durities corticis mali punici. Malogranatum, dum tempus floren-

florendi eſt, germen potiùs emittit quàm florem: itaque potiùs germinat, quàm molliter floreat. Germinant etiam mala punica in deſideriis martyrij: hoc enim genus pomi proprio ſanguine ſæpè madet, vt obſeruat Venerabilis Beda.

NESCIVI.] Dum horti ſui profectum inſpicit Sulamitis, incidit in illam Eccleſiam quæ ex Iudęis eſt. Ibi hæſit conturbata, & neſcia præ conturbatione quid ageret, an videlicet & quouſque Iudæis indulgeret. in quo etiam Petrus, in conuerſatione, à Paulo diſſenſit. Conturbata autem fuit etiam propter acerbam perſecutionem quam à Iudæis eſt paſſa; PROPTER QVADRIGAS AMINADAB. hoc eſt, propter quatuor Euangelia. quæ vnum quidem ſunt Euangelium: quia quadriga hęc habet aurigam Spiritum ſanctum, qui dictauit Euangelia, & direxit quaſi quatuor Amanuenſes ſuos Euangeliſtas; qui quaſi celerrimi equi Euangelium in quatuor orbis partes mox detulerunt. Sunt autem quadrigæ Aminadab, hoc eſt, eius qui fuit ex populo voluntarius: quia ſunt Chriſti Domini, qui cùm eſſet ex Iudæis voluit mori pro gente; & non tantùm pro gente, ſed vt filios Dei, qui erant in quatuor orbis angulos diſperſi, congregaret in vnum. Euangelij enim quadriga fuit Iudæis ſcandalum, & maximas XI.

 tur-

turbas contra eius doctrinam excitarunt: ita vt meritò euangelizantium pedes, adeoque ipsa Ecclesia, excusso Iudaico puluere, se conuerterint ad Gentes. Potest etiam dici, verba ista, NESCIVI, ANIMA MEA CONTVRBAVIT ME PROPTER QVADRIGAS AMINADAB, esse Sponsæ nouellæ, siue Ecclesiæ ex Iudæis recèns conuersæ. Ipsa enim ignorauit multa nimis, quando Saluatorem crucifixit, quando Ecclesiam primitiuam est persecuta propter Euangelium; quod ne reciperent, merito peccati sui Iudęi excæcati sunt, & Synagoga à Deo relicta.

Clamat tamen ad vesperam Synagoga iam compuncta, & ignorantias suas & excæ-
XII. cationem agnoscens: REVERTERE, REVERTERE SVLAMITIS, &c. & Ecclesiæ faciem iterùm videre ac suspicere desiderat, & ad eum conuerti tamquam Dominum gloriæ quem ignorantes crucifixerunt. Quater autem dicit, REVERTERE, vt Ecclesia, quæ propter scandalum à Iudæis acceptum ex Euangelio (quod quadriga Aminadab est) iam à Iudæis auersa & conuersa ad Gentes, à quadriga illa & cum ipsa reuertatur ad suscipiendum Iudæos conuersos.

Cap. VII. vers. 1. QVID VIDEBIS IN SVLAMITE, NISI CHOROS CASTRORVM? Quasi dicat: Vis, ô Synagoga, vt ad te reuertar, & tu te vis conuerte-

uertere ad me, & ad Sponsum meum, quem in diebus carnis suæ suspendisti in ligno, & contra Deum quasi luctans fortior euadere visa es: sed QVID in me VIDEBIS NISI CHOROS CASTRORVM? Inueniet enim Israel in Ecclesia castra Dei. ipsa est Phanuel. Deum hîc per fidem cognoscit, visura facie ad faciem in loco visionis. Ipsa est similis cęlesti Ierusalem, in qua Angelorum millia & legiones sunt, & castra Dei in nouem choros distincta. Videbis ergo in Ecclesia choros Deum laudantium, & fortiter cum diabolo pugnantium. Nam castra nostra chori sunt, & chori castra.

At hîc te flere oportet, & rogare eum qui in Angelo suo tecum luctatus est, vt benedicat tibi. dicit enim de te Oseas cap. 12. *Fleuit, & rogauit eum: in Bethel inuenit eum, & ibi locutus est nobiscum. Et Dominus Deus exercituum, Dominus memoriale eius. Et tu ad Deum tuum conuertêris: misericordiam & iudicium custodi, & spera in Deo tuo semper.*

SECTIO X.

Sponſæ dexteritas in lucro & cura animarum à Salomone commendatur.

CAP. 7. *verſ.* 1.2.3.4.5.6.7.

[1] QVàm pulchri ſunt greſſus tui in
calceamentis filia Principis! Iun-
cturæ femorum tuorum, ſicut monilia
quæ fabricata ſunt manu artificis. [2] Vm-
bilicus tuus crater tornatilis, numquam
indigens poculis. Venter tuus ſicut a-
ceruus tritici, vallatus liliis. [3] Duo vbe-
ra tua, ſicut duo hinnuli gemelli ca-
preæ. [4] Collum tuum ſicut turris ebur-
nea. Oculi tui ſicut piſcinæ in Heſe-
bon, quæ ſunt in porta filiæ multitudi-
nis. Naſus tuus ſicut turris Libani, quę
reſpicit contra Damaſcum. [5] Caput
tuum vt Carmelus: & coma capitis tui,
ſicut purpura Regis vincta canalibus.
[6] Quàm pulchra es, & quàm decora
chariſſima, in deliciis? [7] Statura tua aſ-
ſimilata eſt palmę, & vbera tua botris.

QVAM

QVAM PVLCHRA.] Laudat Sponsus Sponsam, siue Ecclesiam: eam tamen quæ ex Iudæis recèns conuersa est, maximè respiciens, à calceamentis & gressu eius incipiens; quia nimirum iam ad Sponsam priùs accesserat. PVLCHRI autem SVNT GRESSVS Ecclesiæ IN CALCEAMENTIS: quia affectibus mortificatis, etiam moralis Philosophiæ præcepta ac virtutes morales obseruat. virtutis autem pulchritudo magna est, & valdè admirabilis. De hac re testatur Petrus primæ Epistolæ suæ cap. 4. *Vt iam non desideriis hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne viuat temporis. Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem Gentium consummandam, his qui ambulauerunt in luxuriis, desideriis, vinolentiis, comessationibus, potationibus, & illicitis idolorum cultibus: in quo admirantur non concurrentibus vobis in eamdem luxuriæ confusionem.* PVLCHRI ergo SVNT GRESSVS Ecclesiæ IN CALCEAMENTIS. At quare IN CALCEAMENTIS? Numquid Moyses soluere calceamẽta de pedibus suis iussus est cùm ad Dominum accederet? Numquid idem facere iubetur Iosue cap. 5? Attamen vtrumque commendabile. Calceos enim exuunt qui hac cærimonia sanctitatem loci & seruitutem suam erga Deum declarare iuben- 1.

tur. At calceamenta induunt, qui dominium exercent. Vnde illud: *In Idumæam extendam calceamentum meum.* Et quidem in proposito, filia Principis, non esse suam conditionem seruilem, ostendit vtendo calceamentis: præsertim cùm amicus Sponsi etiam Sponsum calceamenta habere testatus sit, quorum non fuerit dignus corrigiam soluere. Et feminarum ornatus etiam in sandaliis spectatur: Iudith cap. 10. Domare carnem docens Ecclesia, mortuorum animalium calceamẽtis calceata procedit, de mortificatis suis affectibus sibi progrediendi facultatem augẽs. & hoc ipsum etiam dominatum arguit: nam qui affectus suos mortificat, vere dominus est. Est locus Ezechielis cap. 16. vbi dicit Dominus, se Ierusalem calceasse ianthino. Sicuti ergo ibi de Synagoga dicitur, quòd ianthina & speciosa habeat calceamenta coloris violacei, id est, ex pellibus taxi, quod est animal violacei coloris; cuius coloris erat etiã Tabernaculi operimentum, Exod. 26. ita hîc indicatur de Ecclesia ex Iudęis collecta, quòd instar filiæ Principis pulchros habuerit gressus in calceamentis pulchris: Euangelij enim pręcones calceati esse debẽt. Ephes. 6. *Calceati pedes in præparatione Euangelij pacis.* quos pedes pulchros esse oportet & cælestis coloris, propter cęlestem intentionẽ, vt habemus Rom.

Rom. 10. *Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona!* Beda per calceamenta hîc intelligit vestigia & exempla Patrum. Ad quæ sequenda hortatur Apostolus, quando dicit: *Imitatores mei estote, fratres, sicut & ego Christi.* FILIA PRINCIPIS est Ecclesia, quia de ea dictum est, *Omnis pulchritudo filiæ Regis ab intus.* Aptè dicitur FILIA PRINCIPIS, quando à calceamentis laudatur hyacinthinis: quia hyacinthus vestis Regum est, Ecclesiastici 40. *Cogitationes eorum & timores cordis, adinuentio expectationis, & dies finitionis: à residente super sedem gloriosam vsque ad humiliatum in terra & cinere: ab eo qui vtitur hyacintho, & portat coronam, vsque ad eum qui operitur lino crudo.*

IVNCTVRÆ FEMORVM TVORVM.] Laudat Sponsus iuncturam femorum, hoc est, coniunctionem Synagogæ & Ecclesiæ ex Gentibus, quæ magno artificio facta est, SICVT MONILIA FABRICATA MANV ARTIFICIS. At quare in femoribus hæc iunctura laudatur? In femore generandi vis indicatur. Iudaici populi femur in Iacobo luctante cum Angelo eneruatum est: quia propagatio Religionis Christianæ claudicauit in Israel, quando Iudæi Dominum occiderunt. Progressum Euangelij multum retardarunt initio Iudæi: at quando claudicatio cessauit in Israel,

rael, vnitis per artificem summum femoribus, pulchri fuerunt Sponsæ gressus, & femora eius iam coniuncta & iuncturæ eorum fuerunt instar monilium. Ornatus enim iste quasi triumphantem repræsentat Ecclesiam, ratione victoriæ quam de Israel secundùm carnem reportauit, qui priùs contra Dominum, quem crucifixerat, inualuerat. Claudicauit ergo Israel victor; pulchre autem & vtroque femore rectè incedens triumphauit bono suo victus. De Synagoga claudicante, eiusque sanatione quæ in fine mundi fiet, licet accipere illud Sophoniæ 3. *Saluabo claudicantem: & eam, quæ eiecta fuerat, congregabo.*

11. VMBILICVS TVVS CRATER TORNATILIS, NVMQVAM INDIGENS POCVLIS.] VMBILICVS Terræ sanctæ erat Ierusalem. de Sion autem exiuit Lex, & verbum Domini de Ierusalem. Iudæi in fine mundi esurient & sitient verbum Domini: à matre Ecclesiæ accipient quod sugant, tamquam per vmbilicum, liquidum alimentum: & ipsa Ecclesia numquam exhaurietur isto liquore. imò in ipsa mustum illud Spiritus sancti, mustum quo ebrij erant in Pentecoste Apostoli, tamquam in rotundo cratere vinario semper in promptu est, vt potentur embryones renascentis in Christo Synagogæ. Alij hæc ad eleemo-

Amos 8.

eleemosynarum largitionem accommodât: vt scilicet cùm de infirmitate nostra per vmbilicum significata cogitamus, abunde refrigeremus cratere tornatili, hoc est festinato potu & cibo, membra Christi, qui sibi id factum in die iudicij reputabit.

VENTER TVVS SICVT ACERVVS TRITICI, VALLATVS LILIIS.] Sicut in aceruo tritici multa sunt grana; ita in vtero Ecclesiæ, qua parte fecunditas significatur, multi fideles. Applaudit itaq; Sponsus isti fecunditati Ecclesiæ, quæ erit in fine mundi, quando Iudæi maximo numero conuertentur, & in vterum Ecclesiæ, vnde aberrauerant, confluent tamquam grana in aceruum tritici. Erit autem VALLATVS LILIIS iste ACERVVS, hoc est, castitatis & aliarum virtutum legibus egregiè continebitur & florebit: continebitur enim, quia vallabitur; florebit autem, quia liliis vallabitur.

DVO VBERA TVA SICVT DVO HINNVLI GEMELLI CAPREÆ.] Exposita hæc sunt Cap.4. Hoc solum monuerim, hæc conuenire Ecclesiæ matri, non autem neophytorum cœtui, qui sorori iuniori comparatur Cap.seq. & tamquam adolescentula dicitur nondum vbera habere, de quo dicemus suo loco. Matri, inquam, Ecclesiæ, etiam ex Iudæis collectæ, hęc conueniunt: quia cùm esset III.

ſet priùs ſterilis, Deus eam quoque facit *matrem filiorum lætantem*, quando in fine mundi Iudæos conuertit. Sanè & vniuerſalis Eccleſiæ tunc vbertas augebitur, ſecundùm illud Apoſtoli ad Rom. 11. *Quòd ſi delictum illorum diuitiæ ſunt mundi, & diminutio eorum diuitiæ Gentium, quantò magis plenitudo eorum?*

IV. COLLVM TVVM SICVT TVRRIS EBVRNEA.] Quid per COLLVM ſignificetur ſuprà diximus Cap. 4. vbi comparatur turri Dauid, hîc autem turri eburneæ: Apoſtoli enim & Apoſtolica auctoritate præditi, rectè dicuntur TVRRIS, quia ſpeculatores ſunt, & in turri vigilant ſuper gregem ſuum. quem etiam ex turri pugnando, hoc eſt, Apoſtolica auctoritate lupos arcendo defendunt.

Dicitur autem TVRRIS iſta EBVRNEA: Primò, quia ſolidè fundata eſt, ſicut ebur durabile eſt & ſolidum. Secundò, propter colorem eboris, quod dum antiquum eſt, rubeſcit. quo ſignificantur Apoſtoli & Pontifices ante Conſtantinum, qui martyrij laurea donati, & ſanguine ſuo rubicundi ſunt. Candidum autem eſt in recentioribus, qui caſtitate & pura ac inculpabili vita gregem ſuum ędificant. Tertiò, ebur eſt os & fortitudo mortui animalis: quo ſignificatur Eccleſiæ Præſides fortes eſſe morte Chriſti, fulgere morti-

mortificationis ſtudio, atque ita demum rectè officio ſuo fungi.

OCVLI TVI SICVT PISCINÆ IN HESEBON, QVÆ SVNT IN PORTA FILIÆ MVLTITVDINIS.] OCVLI ſunt ſuperintendentes Eccleſiaſtici corporis. Ij ſunt SICVT PISCINÆ. oculorum enim natura aquea eſt. vnde Hebræi eodem nomine & oculum & fontem ſignificant. Piſcinarum aqua ſtabilis eſt, & inſtar ſpeculi exhibet figuras tranſeuntium. Prælati non debent fluctuare vt vagi oculi, vt fluctus feri maris; ſed oportet ipſos eſſe modeſtos, quieti & modeſti ſpiritus: ita enim fiet, vt ſpeculum ſint & forma gregis. IN PORTA, vel ad portam FILIÆ MVLTITVDINIS; hoc eſt, ad portam populoſam & à populo frequẽtatam in oppido Heſebon. Erat ibi inſignis eiuſmodi piſcina, cui Sponſæ oculos Sponſus paſtoritio more comparat. Certè oportet Eccleſiæ Epiſcopos ita omnes ſuas actiones inſtituere, quaſi coram multitudine in ipſo foro aut populi corona agerent. Vt enim ſciunt Deum actus noſtros omnes inſpicere; ita ipſi quaſi in theatro poſiti, etiam à populo in omni actione ſua diligentiùs obſeruantur.

NASVS TVVS SICVT TVRRIS LIBANI, QVÆ RESPICIT CONTRA DAMASCVM.] NASVS & nares olfactui ſeruiunt, olfactus

ori

ori adeoque toti corpori ſeruit ad diſcernendos odores noxios & vtiles, ne quid infectionis ſurrepat. TVRRIS LIBANI quæ reſpiciebat contra Damaſcum, quæcumq; tandem ea fuerit, indubiè fuit ſpecula ad diſcernendum eminus quid in portam ciuitatis tamquam in os corporis veniret. Ideò enim erat CONTRA DAMASCVM erecta; quia Syri hoſtes erant Ieruſalem: caput autem Syriæ Damaſcus. Commendatur itaque hîc in Eccleſia diſcretio ſpirituum, & iudicandi acrimonia qua valet contra errores & hæreſes omnes, tamquam contra portas inferi, & hoſtilem ſibi Damaſcum.

Diſcernit etiam Eccleſia per diſcretionem naſo ſignificatam, in quibus actibus ſiue ſermonibus ſit bonus Chriſti odor, & quinam letiferum prauitatis exhalent fœtorem.

V. CAPVT TVVM VT CARMELVS.] Chriſtus Dominus CAPVT Eccleſiæ eſt VT CARMELVS. Cùm enim Carmelus ſit mons fertilis, Chriſtus mons eſt, imò mons in vertice mõtium, eleuatus ſuper omnes montes excelſos. Mons propter altitudinem rectè capiti comparatur. Carmeli pinguedinem teſtatur Ierem. cap. 2. *Et induxi vos in terram Carmeli*, &c. & Iſaiæ cap. 32. *Et erit deſertum in Carmel, & Carmel in ſaltum reputabitur.* Qui locus inſtituto noſtro conuenit etiam alia ex cauſa.

causa. Propheta enim dicit, per suam incredulitatem Iudæos, quando Christum reprobauerunt, Carmeli fecunditatem amisisse; & Ecclesiam Gentium eamdem fecunditatem esse adeptam, cùm priùs esset quasi desertum quoddam. Pronum enim est inde nos colligere, Iudaicam Synagogam, quando in fine mundi Ecclesiæ Christianæ adunabitur, & Christum caput habituram, & vt Carmelum iterùm fecundam futuram; quæ, vt saltus sterilis, iacuerat deserta. Carmeli namque nostri, hoc est Christi, pinguedinem in membra, imò & in comas capitis nostri deriuandam, verba textus nostri sequentia indicant:

ET COMA CAPITIS TVI SICVT PVRPVRA REGIS VINCTA CANALIBVS.] Diximus suprà, comam capitis fideles intelligi: illa in capite nostro Christo Domino comparatur purpuræ Regis, quia fidelibus Sponsa quasi ornamento vestitur, secundùm illud Isa.49. *Omnibus his velut ornamento vestieris, & circumdabis tibi eos quasi Sponsa.* Purpureum autem est Regis nostri vestimentum, quia eo irrisus est, & verè suo Sanguine in Passione purpuratus fuit. Sanguine, inquam, ita copioso, vt per Sacramentorum canales in eos etiam defluxerit qui eum fuderunt, & qui clamauerunt: *Sanguis eius super nos, & super filios nostros.* De filiis his Sanguine Christi

lotis rectè has comas purpuratas intelligimus. Sunt autem vincti CANALIBVS, id est, Sacramentis: quia Ecclesia Sacramentis tamquam quibusdam retibus fideles continet. Ideò Sacramenta rectè canalibus significantur, quia per ea haurimus aquam viuam de fontibus Saluatoris. Perfecta purpuræ tinctura, nullo sole, nulla aquarum aspersione pallescit: ita Christi Sanguine purpurati in eius sic charitate firmantur, vt nullis externis violentiis ab ea voluntas eorum separari possit.

VI. QVAM PVLCHRA ES, ET QVAM DECORA, CHARISSIMA IN DELICIIS?] Est hîc quędam conclusio laudum Sponsæ nouellæ: quæ quia Sponsum in diebus carnis suæ malè tractauerat in facie, in pœnam eius turpis effecta erat: nunc lota in Sanguine Agni, PVLCHRA facta est & DECORA: pulchra specie, decora actione. CHARISSIMA IN DELICIIS, quia nouella Sponsa valdè deliciosa charitate excepta est à Sponso, & Sponsum excepit. Nec propterea minùs terribilis hostibus Ecclesiæ; quia fortis vt mors est dilectio: quæ tamen simul deliciosa est. Quia ergo charitas etiam fortis est, & instar palmæ vincit deprimentem, subiungit:

STATVRA TVA ASSIMILATA EST PALMÆ.] Quasi dicat: Erectio tua est similis ere-

ctæ

ctæ palmæ. ſemper enim ad cælum ſuſpiras, & ſurſum cor habes. Palmæ etiam aſſimilatur Eccleſia propter purpuratos Martyres, qui ipſam tamquam Sponſam vt fulgidi capilli ornant. Sicut autem palma exſcindi quidem poteſt, vinci tamen non poteſt, quin in altum ſe erigat: ita Chriſti Martyres occidi quidem poſſunt, vinci tamen non poſſunt. De palmæ illa natura, vt quouis pondere preſſa ſe erigat, rumpenda potiùs in ſuperiore parte ſua, in qua ſe opponens quaſi dorſo ſurſum ſe incuruat, quàm in inferiori, vt alia ligna, teſtis eſt ex Ariſtotele & Plutarcho Gellius lib. 3. cap. 6. Itaque vt palma oppreſſa nihilominùs vincit, ita Martyres vincunt moriendo. Eſt & alia ſimilitudo palmæ & Eccleſię: palma enim aſpera eſt iuxta terram, in ſummitate autem pulchra frondet & ſuauem fructum habet: ita Eccleſia in terra aſperitatem perſecutionis patitur, ſed in ſupernis de copioſa mercede gaudet. Palma folia ſua etiam hieme conſeruat; ita Eccleſia ab initio in finem vſque ſæculi, etiam in perſecutionis bruma, eadem confeſſionis fidei verba retinet, tamquam numquam interitura folia.

Sed palmam hanc vitis conſcendit more Palæſtinæ, quæ in palma botros tamquam vbera producat. Per vbera doctrina intelli-

genda est, vt suprà diximus. quæ animam nutrit ac roborat sicut vinum, delectat vt botrus & vinum nouum. quod vt Synagoga caperet, vter nouus factus est, & de Spiritu Iesu ardens mustum & nouum Testamentum accepit. His botris, & dicto aceruo tritici alimur, quando sacra Eucharistia reficimur.

SECTIO XI.

Profectus discipularum Ecclesiæ.

CAP. 7. *versu* 8. 9. 10.

8 DIxi: Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius: & erunt vbera tua sicut botri vineæ, & odor oris tui sicut malorum. 9 Guttur tuum sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiisque & dentibus illius ad ruminandum. 10 Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius.

VIII. DIXI: ASCENDAM IN PALMAM.] Loquitur nouella Sponsa discipula Sulamitidis ad ipsam Sulamitidem. Dixi, inquit, & mecum statui, sicut Sponsus noster fecit, ascendere in crucem (quam video esse PALMAM, quia omnia aduersa

uerſa vincit:) & apprehendere FRVCTVS EIVS. ibi enim inueniam VBERA conſolationis: nam tu quæ me ad crucem pertrahis, in ipſa cruce tamquam vitis fructificas. Ibi itaque inueniam VBERA TVA, quibus tenella adhuc lacter, quæ vbera tamquam BOTRI VINEÆ alimẽto & conſolatione ſunt plena.

Fructus alioqui palmæ ſunt etiam & poſſunt intelligi gloria in quam intrauit Dominus per crucem, viam nobis oſtendens qua ad gloriam peruenitur: nam palma quæ vitem portat, præter botros, etiam dactylos proprios victoriæ fructus habet. Nolo tamen eis magnopere reluctari, qui dactylos in elatis palmæ pendentes ſimilitudinem botrorum vineæ dicunt habere, vt non ſit opus hîc alios botros intelligere. Iuuat tamen noſtrum ſenſum, quòd textus non ſimpliciter dicat BOTRI, ſed BOTRI VINEÆ; certúmque ſit in Palæſtina vites deduci, vt alias arbores aſcendant.

ET ODOR ORIS TVI SICVT MALORVM.] Os Eccleſiæ ſunt prædicatores fidei: fama illorum eſt ſicut odor malorum, quia Chriſti bonus odor ſunt: & non tantùm odor, ſed & fructum coniunctum habent ſicut odor malorum. Os ideò Eccleſiæ laudat hæc diſcipula; quia per illud perducta eſt ad palmam, & ad fructus palmæ, tam botrorum

appendentium quàm dactylorum. Dubitarunt quidam cuius hæc ſint verba, quæ nonnulli etiam Sponſo tribuerunt: quod confutat Giſlerius ex femininis pronominibus in Hebræo *tua* & *tui*.

IX. GVTTVR TVVM SICVT VINVM OPTIMVM.] Hæc verba ſunt Sulamitidis ad eamdem diſcipulam, quam commẽdat ob animi promptitudinem ad conformandum ſe Sponſo. Vocat autem GVTTVR verbum bonũ, quod iam apud ſe ſtatuerat. in gutture enim ſonus verborum formatur antequam ore eloquamur. Eccleſia itaque os in eloquio habet: Soror verò iſta iunior, Synagoga recens conuerſa, adhuc verba confeſſionis fidei in Crucifixum, in gutture format: & ſicut olim clamauit in gutture ſuo, *Tolle eum*; ita nunc clamare incipit, *Aſcendam in crucem*; quando intellexit crucem eſſe lignum viride & frugiferam palmam.

SICVT VINVM OPTIMVM.] Quaſi dicat: Hæc conuerſio tua valdè delectabit Dilectum meum, vt VINVM OPTIMVM, iam loco aceti ei in cruce exhibiti propinatum. Neque illud cùm guſtauerit recuſabit bibere, vt fecit in Paſſione, cùm malè à tuis potaretur parentibus; ſed dignum erit quod à labiis & dentibus eius, hoc eſt, à Doctoribus eius tam circa infideles laborantibus, quàm inter credentes

dentes agentibus ruminetur, & meditatione assidua reuoluatur. Sublimia verba in sententia praecedente fuisse significat.

EGO DILECTO MEO, ET AD ME CONVERSIO EIVS.] Idem paenè quod suprà Cap.6. *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi.* & Cap.2. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Idem etiam explicat sententia Domini: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Est iste fructus dilectionis Dei, vt eius, qui Dei voluntatem facit, Deus etiam voluntatem faciat. Quod mirum non est, quando vnum idemque volunt Deus & homo. Videtur itaque Sponsa nouella his verbis laudem excusare in se cumulatam, & Sponso suo omne bonum transscribere, qui vicissim eam redamet & omni bono cumulet. Alij dicunt, verba haec amoris plena esse nouellae Sponsae occurrentis Sponso ad se venienti, quibus sermonem prioris colloquij abrumpens in Sponsi amplexum obuia ipsi prosiliat. consulendus Gislerius. Alij mutuum amorem Sponsi & Sponsae in his verbis notant valdè arctum, & vtrimque cum seruitute aliqua quodammodò coniunctum: quod cum nostra expositione satis conuenit. X.

SECTIO XII.

Sulamitis Salomoni rationem reddit, & compotem facit fructuum laboris sui.

CAP. 7. *versu* 11. 12. 13.

11 VEni dilecte mi, egrediamur in
agrum, commoremur in villis.
12 Manè surgamus ad vineas. Videa-
mus si floruit vinea, si flores fructus par-
turiunt, si floruerunt mala punica: ibi
dabo tibi vbera mea. 13 Mandragoræ
dederunt odorem. In portis nostris om-
nia poma: noua & vetera, dilecte mi,
seruaui tibi.

XI. VENI DILECTE MI, EGREDIAMVR IN AGRVM.] Sulamitis iam egregiè perfuncta munere curandi animas, ad Sponsum conuertitur, sibi gratulans ipsumque delectare volens inspectione tanti prouentus, simulque quietem aliquam sibi sumere desiderans, ab externo labore se transferendo ad contemplationis dulcedinem, & suaue soliloquium animæ suæ cum Sponso. VENI. Quasi dicat: Inuitasti me ad culturam, veni & vide culturæ fructum; & EGREDIAMVR simul, alioqui soli,

li,sine arbitris, IN AGRVM. In agro & greges inspiciendi erant, & lætior seges solidioris cibi; ibi triticum, cuius aceruo venter Sponsæ comparatus erat, & quod in horrea Domini euentilatis paleis colligendum erat.

COMMOREMVR IN VILLIS, siue (vt LXX. habent) IN CASTELLIS.] In agro pernoctare non erat opportunum, at potiùs ad villas diuertendum erat, in quibus hortensis cura cultior. Nam apud cultiores & perfectiores animas Sponsus quiescit, minùs perfectos magis obiter visitat.

MANE SVRGAMVS AD VINEAS.] Insignis odor est Ecclesiæ in meditatione matutina. Tunc ergo meritò in vineis suis dicitur delectari Sponsus. XII.

VIDEAMVS SI FLORVIT VINEA, SI FLORES FRVCTVS PARTVRIVNT.] Videamus, inquit, an vineæ incrementum ad flores, & flores ad spem fructuum profecerint. Neque enim sufficit florere, & bonæ famæ odore Sponsum recreare; sed oportet perseuerare ad fructificandum: Sponsus siquidem non comedit flores, sed fructus. Itaque vt incorporemur Christo, oportet fructificare, & ad maturitatis calorem charitatem perducere, ne tepidos eiiciat.

SI FLORVERVNT MALA PVNICA.] Notat D. Thomas, in malogranatis seu punicis

malis eodem tempore esse flores & fructus. significatur ergo, hoc maximè recreare Sponsum, si de virtute in virtutem proficiamus; & dum vnam in fructu operis habemus, alteram habeamus in flore cogitationis. Dici etiam potest, quòd per mala punica perfectiores animæ earumque congregationes indicentur. Illarum flore & fructificatione maximè Sponsus recreatur: ideoque hic demum cęlesti amplexu Sponsę iungitur. quod Sponsa indicans subiungit:

IBI DABO TIBI VBERA MEA.] Per perfectos enim Christo generat filios nouos: per perfectos nutrit tamquam per vbera. viuit enim in eis (inquit Gregorius) charitas gemina, ex qua dum infirma membra in Ecclesia nutriunt, quasi Christum lactát, quem in minimis membris suis esse pręsentem cognoscunt. In iisdem perfectis Deus delicias suas, & ipsi in Deo suam sanctam habent voluptatem, quando in agro studij contemplationis, & in villis meditationum, atque in vineis sacrarum Scripturarum dant vbera sua Sponso, & eius suscipiunt amplexus; gustant bonum internæ pacis ac tranquillitatis, & nonnumquam etiam in ecstasin rapiuntúr.

XIII. MANDRAGORÆ DEDERVNT ODOREM.] In mandragoris notatur Primò vis soporifera. Secundò, vis fecundandi: quod ei est proprium

prium quæ in calidis regionibus creſcit, quia in frigidis natæ mandragoræ potiùs ſterilitatem inducunt. Tertiò, ſunt odoratæ & pulchræ. Quartò, dicuntur vim philtri habere. Quintò, radix aliquouſque habet ſpeciem corporis humani, ſed brachia deſunt, & caput, ſi radicem ſolam conſideres. Sextò, etiam vberum habent ſimilitudinem. vnde & apud Hebræos vberum nomen habent: poma enim ſiue fructus earum non diſſimilia ſunt vberibus. Septimò, etiam ſexum inter mandragoras quidam diſcernunt, vt vna ſit maſcula, altera femella. Octauò, nauſeam ſtomachi mandragora compeſcit. De ſingulis aliquid myſtici ſenſus ſuggeritur.

Mandragoræ ergo ſunt animæ conuerſæ. In primis recreat Sponſum, quòd mandragoræ ſuæ nos morti aſſimilent per ſoporem, quando mortificamus membra noſtra ſuper terram, & ea quæ deſunt paſſionum Chriſti adimplemus in carne noſtra. Vim habent fecundandi, quia ex ſopore & morte Chriſti, magna orta eſt Eccleſiæ fecunditas. Odoris boni eſt mandragora noſtra, propter bonam famam Euangelij. Pulchræ ſunt mandragoræ, quando crocum Sanguinis Domini meditamur: crocei enim ſunt coloris mandragoræ maſculæ flores. Ad amorem Sponſi mandragoræ ſiue circeia proſunt,

ſunt, quia meditatio Paſſionis flabrum eſt charitatis. Habuit mandragora noſtra ſpeciem humani corporis mutilati & acephali, in illis qui Chriſto caruerunt terrenis immerſi; ſed conuerſi, cum Eccleſia refloruerunt & protulerunt fructum ſuaueolentem. Hæc acephala mandragora ſignificat propriè Iudæos, qui cum idolis quidem non fornicantur, ſed Chriſtum Regem ſuum ac caput reliquerunt, & ideò ſine capite etiam alio ſedent, ſecundùm illud Oſee 3. *Et dixi ad eam: Dies multos expectabis me: non fornicaberis, & non eris viro, ſed & ego expectabo te. Quia dies multos ſedebunt filij Iſrael ſine Rege, & ſine Principe, & ſine ſacrificio, & ſine altari, & ſine ephod, & ſine theraphim. Et poſt hæc reuertentur filij Iſrael, & quærent Dominum Deum ſuum, & Dauid Regem ſuum: & pauebunt ad Dominum, & ad bonum eius, in nouiſſimo dierum.* Vberum ſimilitudo in mandragoris noſtris commendat geminam charitatem, qua maximè diſcipuli internoſcuntur. Tunc autem demum ea vbera apparent, quando fideles benè operantur: quia charitas non eſt otioſa, ſed etiam fidem operatricem facit. Mandragora vtraque tam maſcula quàm femella dicitur vtilis medicamini; at præſtantior eſt maſcula. Eccleſiæ fideles virilem induunt animum, quia ad viraginem ſpectant

ſpectant quæ de viro ſumpta eſt. effeminatio enim omnis per fidei robur corrigitur. Denique ſtomachi nauſeam mandragora tollens, ſignificat charitatem tędium omne ſuperare, & deſiderium incorporandi Chriſti animas ſemper in nobis excitare.

IN PORTIS NOSTRIS OMNIA POMA: NOVA ET VETERA, DILECTE MI, SERVAVI TIBI.] In portis horti ad manum etiam erant vetera poma, præſertim mandragorarum, & noua recèns decerpta cum ipſis. adeoq́ue quidquid ex cultura ſua prouenerat, ſeruauit Sponſa ſuo Dilecto. IN PORTIS Eccleſiæ, hoc eſt, in Doctoribus, ſiue in Scribis doctis, promptitudo eſt proferendi quaſi de theſauro memoriæ NOVA ET VETERA, hoc eſt, gratos & boni odoris fructus, & exempla tam veteris quàm noui Teſtamenti: quæ omnia reſeruantur Sponſo, quia de ipſius dono & cultu etiam veteris populi Deo grata opera prouenerunt. Agnus enim occiſus eſt ab origine mundi.

Eſt & alia interpretatio huius particulæ non incommoda, vt per agrum ſignificetur Eccleſia quæ fuit vſque ad circumciſionem. Cùm enim ager mundum ſignificet, aptè ea Eccleſia quæ ferè ſine notorio, certo & peculiari ritu erat, & nulli genti erat aſtricta, per mundum diſperſa ager vocatur. At tempore

re circumcisionis, & postmodum tempore Moysaicæ Legis, Ecclesia ad aliquam certam gentem illustri cultu videbatur astricta. Quamuis enim in Gentibus aliis sparsim adhuc inuenirentur fideles, & Ecclesia non fuerit ad Synagogam restricta: Dei tamen disciplina non viguit adeò tunc in vlla gente; sed, *Notus in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen eius*. Nam præter vellus Gedeonis omnia tunc erant arida, & reliquit Deus gentes ire vias suas. Meritò ergo status illius Ecclesiæ intelligitur restrictus ad villas & castella, ad quæ Sponsa cum Sponso diuertit pernoctãdi, aut, vt LXX. indicant, quiescendi gratiâ. Iudæi enim cùm essent duræ ceruicis, & parum in rebus fidei illuminati, in ignorantiæ tenebris, licet veri Dei cultores, quasi in villarum nocturnis tabernaculis versabantur. At quando manè exortum est, & Christus Sol iustitiæ illuxit mundo, comparatur Ecclesia viti florenti, & producenti fructum. Sicut enim dum floret vinea, quidam flores quasi maturiores incipiunt fructus formare, aliis tantùm florentibus: ita euenit in illo Ecclesiæ Christi nascentis exordio. Nam pauci flores ex Iudæis quasi viciniores Soli iustitiæ, qui eos elegit, cœperunt citiùs de primitiis spiritus efflorere & fructificare, quando ex Gentibus con-

conuerſi etiam flores ſuos producebant.

Verùm cùm longè lateque per Romanum Imperium & alibi efflореret ſolida pietate Eccleſia, etiam malis punicis meritò comparari poterat; ita Sponſo complacuit, vt tandem poſt multa martyria dederit ei pacem ſtabilem, atque ipſa fecundis vberibus Sponſo coniunctior effecta ſit. Tandem in fine mundi etiam mandragoræ odorem ſuum dant, hoc eſt, priùs acephala, quia repudiata, Synagoga tota effloruit, & Eccleſiæ coniuncta, radicis terrenam conuerſationem vberum nouorum fecunditate correxit. Vt meritò Sponſa, noua & vetera hæc poma exultabunda tandem Sponſo offerat.

PARS

PARS QVARTA.

De præparatione ad mortem.

SECTIO I.

Sulamitis desiderium suum aperit ex hac laboriosa vita migrandi ad delicias Dilecti sui.

CAP. 8. *vers.* 1. 2. 3. 4. 5.

1 QVis mihi det te fratrem meum
sugentem vbera matris meæ, vt
inueniam te foris, & deosculer te, &
iam me nemo despiciat? 2 Apprehen-
dam te, & ducam in domum matris
meæ: ibi me docebis, & dabo tibi po-
culum ex vino condito, & mustum
malorum granatorum meorum. 3 Læ-
ua eius sub capite meo, & dextera illius
amplexabitur me. 4 Adiuro vos filiæ
Ierusalem, ne suscitetis, neque euigila-
re faciatis dilectam, donec ipsa velit.
5 Quæ est ista, quæ ascendit de deserto,
deliciis affluens, innixa super dilectum
suum?

PERFVN-

PERFVNCTA laboribus Sulamitis, & fructuosæ suæ operæ ratione iam reddita, consignatisque Dilecto nouis veteribusque pomis, pro requie sollicita est, quam in solo Dilecto, & à solo ipso expectans, exclamat: QVIS MIHI DET in- 1.
uenire TE FRATREM MEVM, qui me toties sororem tuam appellasti, qui primogenitus es in multis fratribus, quem vt fratrem diligo, vt Sponsum concupisco; SVGENTEM VBERA MATRIS MEÆ? qui propter me non tantùm frater meus factus es carne assumpta; sed etiam Synagogæ matris meæ vbera suxisti, quando factus es sub Lege. Christum Dominum dicit D. Thomas suxisse vbera matris suæ Sponsæ, quando sensum Scripturæ extráxit tamquam lac latentem, & discipulis propinauit. In quo sensu vbera Synagogæ fuissent Scripturæ sacræ, id est Lex & Prophetæ, Lucæ vltimo: *Et incipiens à Moyse & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de ipso erant.* Inuenire, inquam, TE FORIS, extra corpus hoc animam aggrauans, desidero, vt DEOSCVLER TE liberiori & puriori amplexu, libera à carne despicabili, libera ab omnibus inimicis meis, qui me despicere & turbare solent, quando eram in sanctæ contemplationis

quiete. Quærit Philo, quomodo Sponſus adultus dicatur ſugere vbera matris ipſius Sponſæ, cùm ſugere lactentiū ſit infantium. Reſpondet his verbis: Cùm ad nuper illuminatos homines Chriſtus ipſe, veluti ad infantes eccleſiæ, gratiâ ſuæ viſitationis accedit, tunc per illos incipientes Deum ipſum agnoſcere, & cæleſtia deguſtare, vbera ſugere dicitur, hoc eſt duo Teſtamenta & duo præcepta charitatis exſugere & emulgere.

APPREHENDAM TE, &c.] Vltrò virum apprehēdere, mulieri hîc deſpicabile eſt; ſed anima corpore ſoluta Sponſum ſuum apprehendit, & nemo eam deſpicit. Ducit IN DOMVM MATRIS ſuæ, hoc eſt in cæleſtem Ieruſalem, quæ eſt mater noſtra. Ducit, dum ſe duci flagitat. Liber iſte modus loquendi amantium eſt. IBI ME, inquit, DOCEBIS, quia in patria cognoſcemus, ſicut & cogniti ſumus: perfectè enim ea cognoſcemus, quæ ad Dilectum noſtrum & ad nos ipſos pertinent, ſicut ab ipſo perfectè hîc cognoſcimur, licet nos ex parte tantùm cognoſcamus.

ET DABO TIBI POCVLVM EX VINO CONDITO.] Ibi mecum iucundaberis viſo præmio meo, quo coronabor ratione laborum meorum, quibus & vinum variis aromatibus, & virtutum odoribus condítum, & vinum MALORVM GRANATORVM Dilecto

meo

meo præparaui in conuersione populorum. Dabo enim illud poculum & illud mustum tibi, quia ante thronum tuum mittam meam coronam, teque de his perpetuò laudabo. Tres Patres apud Theodoretum dicunt, sensum esse, Quis mihi det in Patris regia Dilecto meo frui, nouoque potu cum ipso refici, qui sine medio quasi ex vberibus cælestis matris in nos fluat. Ibi dabo ei poculum de vino condito, de latice malorum granatorum meorum, mixtum ex timore Domini, & desiderio fruendi Sponsi amplexu.

LÆVA EIVS SVB CAPITE MEO, ET DEXTERA ILLIVS AMPLEXABITVR ME.] In æstu desideriorum meorum, dum fatigata laboribus huius vitæ ad alteram anhelo, Dilectus me excipit, amplectitur & protegit, læuâ caput erectum tenens, dexterâ autem totum corpus, ne fatiscam, amplexans. Explicatus est locus iste suprà Cap. 2. vbi læuam Sponsi in hac vita sub capite Sponsæ esse obseruauimus, amplexum autem dexteræ eius in futuram vitam differri. III.

ADIVRO VOS FILIÆ IERVSALEM, &c.] Spōsus conuersas animas adiurat, ne quo prætextu Sponsam in contemplationis quiete & sui amplexu quasi sopitam excitent, aut euigilare faciāt donec vltrò ad se redeat, & ipsarum curæ incumbere velit. Filiæ Ierusalem adiu-

ratæ hîc ſunt familiariùs & ſimpliciùs quàm ſuprà Cap. 2. & 3. quia iam magis erant eruditæ, & faciliores ad audiẽdam vocem Sponſi.

Erumpunt autem in vocem admirationis
IV. dicentes: QVÆ EST ISTA QVÆ ASCENDIT DE DESERTO, DELICIIS AFFLVENS, INNIXA SVPER DILECTVM SVVM?] Primi parentes in paradiſo deliciarum fuerunt à Deo poſiti, vt eum colerent & cuſtodirent. Amiſerunt eum per peccatum, eiectique ſunt in huius mundi deſertum, vbi terra profert ſpinas & tribulos. At Eccleſia Chriſti poſt peccatum collecta, quæ non veteris Adæ ſed Dei agricultura eſt, quod corporaliter amiſit, ſecundùm animam recuperauit: nam ſecundus Adam Sponſus eius ita eam coluit & cuſtodiuit, vt ſpiritualem paradiſum eiuſque delicias animæ fideles etiam in hac vita per Dei gratiam, maximè poſt Chriſti Paſſionem, adeptæ ſint. Itaque dum iam Sponſa ad ſuperna anhelans aſcendit; meritò admirabundæ filiæ Ieruſalem, quærunt: QVÆ EST ISTA, QVÆ ASCENDIT DE DESERTO? quæ eluctata ex huius vitæ ærumnis & miſeriis conuerſatione cælum petit, deliciis omnique genere virtutum abundans, plena merito, plena cæleſtis plantationis fructibus; in ſe debilis, in ſolo Dilecto fortis: omnia enim poteſt in eo qui ipſam confortat.

SECTIO

SECTIO II.

Docetur Sulamitis ſe ad mortem præparare per meditationem Crucis & exercitium charitatis.

CAP. 8. *verſu* 5. 6. 7.

5 SVb arbore malo ſuſcitaui te: ibi
corrupta eſt mater tua, ibi violata
eſt genitrix tua. 6 Pone me vt ſignacu-
lum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſu-
per brachium tuum: quia fortis eſt vt
mors dilectio, dura ſicut infernus ęmu-
latio: Lampades eius, lāpades ignis atq;
flammarum. 7 Aquæ multæ non po-
tuerunt extinguere charitatem, nec flu-
mina obruent illam: ſi dederit homo
omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro
dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam.

SVB ARBORE MALO, &c.] Iudæi poſt Chriſtum locum hunc deprauare conati ſunt, quia videbant eum facere pro myſterio Crucis. Itaque Chriſtiani interpretes per eum & in eo Crucis myſterium illuſtrant: vt ſignificetur naturam humanam fuiſſe corruptam ſub ligno v.

pomifero siue fructifero, quando primi parentes de ligno vetito comederunt; & per Crucem genus nostrum in originis peccato mortuum iterùm ad vitam esse suscitatum, quãdo de latere dormientis in Cruce Christi secunda mater viuentium, hoc est, Ecclesia vnica illa Christi Sponsa, suscitata & ædificata est. SVB ARBORE ergo corrupti, SVB ARBORE iterùm viuificati sumus; quia sub Christo crucifixo eos esse oportet, & sub Crucis vexillo militare necessum est omnes qui à peccati morte suscitantur; quia non est aliud nomen in quo possumus salui fieri. Docetur autem Sponsa hoc loco, quòd dum ad Sponsi gloriam migrare cupit, debeat agnoscere suam in se vilitatem, & totam suam virtutem omneque bonum Sponso adscribere; qui exaltatus in Cruce, omnia attraxit ad se, & miserans ipsam attraxit, & à genitalibus sordibus lauit Sanguine suo. Didicit ex hoc loco Sponsa Christi Ecclesia cantare hoc modo: *Per lignum serui facti sumus, & per sanctam Crucem liberati sumus: fructus arboris seduxit nos, Filius Dei redemit nos*. Philo secutus LXX. Interpretes, per *malum* quidem Crucẽ intelligit; sed cùm ipsi loco eius quod nos legimus in Vulgata, *ibi corrupta est mater tua*, legant, *illic in dolore te peperit quæ te concepit*, dicit sensum esse, quòd caro Christi

in

in dolore pepererit Ecclesiam in Cruce. Neque desunt alij, qui sub Cruce dicant corruptam esse Synagogam, siue quia crucifigendo Saluatorem grauissime est lapsa, siue quia nece eius sui excidium & corruptionem seu totalem destructionem meruit.

PONE ME VT SIGNACVLVM SVPER COR TVVM.] Signaculum pro mnemosyno in Scripturis vsitatum. Vult ergo Sponsus, vt Sponsa, quam, vt iam dixit, prior dilexit, & tantis beneficiis affecit, ipsum tamquam monumentum amoris, aut tamquam annulum aut iconculam in corde suo gestet. Mortem suam Dominus annuntiari vult donec veniat, & in suæ Passionis memoriam Sacramentum & Sacrificium altaris frequentari. Hoc mnemosynon Sponsæ suæ reliquit, vt Crucis memor sit; per quam, dum iaceret, erecta & saluata est. VI.

VT SIGNACVLVM SVPER BRACHIVM TVVM.] Super brachium dilectionis signaculum etiam poni debet: quia non sufficit corde solo diligere aut verbo, sed oportet opere & veritate charitatem exercere, secundùm illud 1. Ioan. 3. *Filioli mei, non diligamus verbo neque lingua, sed opere & veritate.* Armilla ergo Sponsæ est operatio sancta, quia arbor ex fructibus cognoscitur. Simile quid reperitur Deuter. 6. *Erunt verba hæc,*

quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo: & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque conſurgens. Et ligabis ea quaſi ſignum in manu tua.

QVIA FORTIS EST VT MORS DILECTIO, DVRA SICVT INFERNVS ÆMVLATIO.] Mors corpori adimit ſenſum; dilectio autem ſancta etiam animæ, quæ corpus vegetat, indolentiam inducit & apathiam circa temporalia & mundana, & concupiſcentias carnales, dum corde & brachio, hoc eſt, mente & actione vni Sponſo placere contendit, ipſum attendens reliquorum obliuiſcitur. Fortiorem morte eſſe dilectionem, Martyres oſtẽderunt, qui mortes diriſſimas per charitatem Chriſti vicerunt. Nemo mortem vincit; ita & charitas inuincibilis eſt. Imò fortior apud electos eſt charitas morte: quia cùm quiduis ductu & inclinatione charitatis faciant, mortis tamen euitandæ cauſà charitatem non relinquunt. Vbi obſerua, charitatis fortitudinem conſiſtere in alliciendo, mortis autem in deterrendo: à multis enim abſtinemus metu mortis, ſed ex diuinæ charitatis inclinatione multò plura facimus, multò plura omittimus. Mortem vincit charitas, mors charitatem non vincit. Zelus etiam Sponſi erga Sponſam eſt durus & inflexibilis

ſicut

ſicut infernus. Sicuti enim infernus nulli parcit; ita Deus zelotes vindex eſt ſi quid in amorem eius peccetur: diſperdit namque Deus eum qui templum Domini violauerit. Si de Sponſæ æmulatione qua ipſa æmulatur accipias, dic hanc æmulationem eſſe ſicut infernum; quia ſicut infernum non euadit quod in eo eſt, ita à charitate Dei nihil nos ſeparat. Deinde, vt ardens zelus eſt inſatiabilis, ſe impendendo pro Dilecto; ita infernus *numquam dicit, Sufficit:* Prou. 30. Denique dura vt infernus eſt æmulatio, quia vt infernus nemini parcit, ita zelo domus Dei accenſi non omittunt contradicere hæreticorum erroribus.

LAMPADES EIVS, LAMPADES IGNIS ATQVE FLAMMARVM.] Significatur, LAMPADES ſiue lucernas per quas Dominus zelotes, qui ignis conſumens eſt, ſcrutatur Ieruſalem, eſſe valdè igneas, ita vt etiam montium fundamenta comburant; & valdè flammantes, ita vt & montem ſuperbiæ & fumum vanitatis abſumant. Vel ſi malis de zelo Sponſæ hoc interpretari; ſignificatum fuerit, fidelium zelum immobilis eſſe propoſiti: adeò vt etiam inferni, hoc eſt, damnatorum obſtinationi & duritiæ comparari queat Eccleſiæ perſeuerans in zelo ſuo bono conſtantia, eniteſcens & lucens coram hominibus inſtar

lampadis cum igneo feruore & flammæ vehementia.

VII. AQVÆ MVLTÆ NON POTVERVNT EXTINGVERE CHARITATEM.] Ignis extinguitur aquâ. Charitas ignis eſt, vt iam dictum: attamen per aquã non extinguitur. AQVÆ MVLTÆ poſſunt intelligi gentes & populi infideles, ſuper quibus meretrix ſedet Apocal. 17. Significatur ergo, quòd Babylon ebria de ſanguine Sanctorum, & de ſanguine martyrum IESV, cum omni ſuo ſatellitio non potuerit vincere charitatem, aut fideles, vel Eccleſiam ſeparare à charitate Chriſti.

NEC FLVMINA OBRVENT ILLAM.] Quomodo draco per flumen conetur opprimere Eccleſiam, habemus Apoc. cap. 12. *Et miſit ſerpens ex ore ſuo poſt mulierem aquam tamquam flumen, vt eam faceret trahi à flumine.* Flumina ergo, aquæ, ſiue tribulationes & perſecutiones diaboli, charitatem non vincunt, ſed irrito conatu abſorbentur à terra, & in nihilum abeunt & euaneſcunt.

SI DEDERIT HOMO OMNEM SVBSTANTIAM DOMVS SVÆ PRO DILECTIONE, QVASI NIHIL DESPICIET EAM.] Explicat hunc locum quod habemus ad Hebræos 10. *Rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis.* Parabola etiam de negotiatore quærente bonas margaritas, & inuenta vna pretioſa

tiosa vendente omnia quæ habet vt eam emat, Matth. 13. huc facit: quia ipse Sponsus margaritum est pretiosissimum, qui per dilectionem possidetur, & charitate amissa, amittitur.

SECTIO III.

Deliberatio à Sponsa adulta proposita de Sponsæ nouellæ cura, ad quam & Sponsus & nouella Sponsa respondent.

Cap. 8. *vers.* 8. 9. 10.

8 SOror nostra parua, & vbera non
habet: quid faciemus sorori nostrę
in die quando alloquenda est? 9 Si mu-
rus est, ædificemus super eum propu-
gnacula argentea: si ostium est, com-
pingamus illud tabulis cedrinis. 10 Ego
murus, & vbera mea sicut turris, ex quo
facta sum coram eo quasi pacem repe-
riens.

SOROR nouella, recèns ad Christum, inquit Sulamitis, conuersa, adhuc PARVA, & nondum pariendis & lactandis Sponso filiabus idonea, quia VBERA NON HABET. Non habet Doctores idoneos, sed solùm habet neophytos, VIII.

tos, quos Doctores & Episcopos esse non conuenit. VBERA ergo, quæ lac doctrinæ præbeant, NON HABET.

QVID FACIEMVS SORORI NOSTRÆ?] Quasi dicat: Quid contra hæc incommoda faciemus in diem desponsationis suæ, vt possit cælesti coniugio esse idonea, Christoque animas parere & nutrire?

Respondet Sponsus, curandum vt pro talento suo habeatur, & operi sancto præparetur & adhibeatur.
IX. SI MVRVS, inquit, EST, ÆDIFICEMVS SVPER EVM PROPVGNACVLA ARGENTEA: SI OSTIVM EST, COMPINGAMVS ILLVD TABVLIS CEDRINIS. Eorum qui curam animarum exercent, duæ debent esse virtutes: vna arcendi lupum, quæ significatur per murum, quo arcetur lupus, fur, latro, qui veniunt vt mactent & furentur; altera qua fiat vt intrent oues in Christi ouile, quæ significatur per ostium. Nouellæ Sponsæ, si hęc duo habuerit, quibus Antichristum omnesque procaces procos excludat, & Sponso suo soli, iisq; qui ad ipsum pertinent aperiat, promittitur auxilium; muro quidem iungenda PROPVGNACVLA ARGENTEA, qui intelliguntur Doctores potentes in Scripturis: verbum enim siue eloquium Domini, *argentum* est *igne examinatum*, *probatum terræ*, *purgatum septuplum*: Psal. 11. Quæ propugnacu-

gnacula efficiunt vt Doctores Ecclesiæ & Episcopi potentes sint exhortari in doctrina,& eos qui contradicunt arguere. Quatenus autem OSTIVM EST; tabulæ cedrinæ ei promittuntur. In cedro duo notantur, odor suauis, & incorruptibilitas. Significatur ergo, quòd Pastoribus nouellæ Ecclesiæ, qui vel ostiarij vel ostium dici possunt,& bonæ famæ ex variis gratiis & virtutibus natæ odorem, quo alliciantur oues, tribuet; & insuper incorruptum iudicium, ne eos qui excludi debent admittant, aut admittendos ab ouilis ingressu excludant, aut alio loco quemquam in Ecclesia habeant, quàm sit habendus, secundùm illud Iacobi 2. *Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri* IESV CHRISTI *gloriæ*. Hoc obseruauit Apostolus ad Gal. 1. *Modò enim hominibus suadeo, an Deo? An quæro hominibus placere?*

EGO MVRVS,&c.] Sponsa nouella interuenit colloquio Sponsi & Sponsæ de se instituto: dicitque se esse murum, & fortiter posse resistere aduersariis: neque sibi deesse vbera, hoc est, Doctores, sed ea instar turris excreuisse; adeò, vt nō tantùm vt vbera lactent per ostium ingredientes, sed etiam vt propugnacula turrita deiiciant oppugnantes. Idque sibi dicit euenisse subitò, quando coram Sponso pacem & gratiam inuenit: sic enim x.

facta

facta est quod per se non erat. Per se erat paruula & sterilis, sed Deus ædificauit ei domum, vberaque addidit, & turrim ędificauit in ea. Quasi pacem inuenit, quando ad bellum ita armata est. Serò certè pacem inuenit, quæ pro occiso Domino vsque in sæculi huius finem repudio mulctata, per totum mundum vagabunda fuit.

SECTIO IV.

Sulamitis reddit vltimam rationem sibi commissæ vineæ, & à Sponso in cælum assumitur.

CAP. 8. *vers.* 11. 12. 13. 14.

11 VInea fuit pacifico in ea quæ habet populos: tradidit eam custodibus, vir affert pro fructu eius mille
argenteos. 12 Vinea mea coram me est.
Mille tui pacifici, & ducenti his qui
custodiunt fructus eius. 13 Quæ habitas in hortis, amici auscultant: fac me
audire vocem tuam. 14 Fuge dilecte
mi, & assimilare capreæ, hinnuloque
ceruorum super montes aromatum.

VINEA

VINEA FVIT PACIFICO IN EA QVÆ HABET POPVLOS.] Vox est Sponsæ adultioris vsque ad illa verba, QVÆ HABITAS IN HORTIS, quia illa sunt Sponsi: quæ sequuntur, FVGE DILECTE MI, &c. iterùm sunt Sponsæ. XI.

VINEA FVIT.] Quasi dicat: Salomon habuit vineam in populosa ciuitate. TRADIDIT, hoc est, elocauit eam agricolis, qui eius curam haberent, eamque colerent. Quisque autem ex illis agricolis pendit Salomoni mille argenteos pro fructu vineæ sibi locatæ.

VINEA MEA CORAM ME EST.] Mihi commissam vineam ego præsens custodio & colo. Mea est, quia Sponsi mei est, & coniugum omnia sunt communia. Mihi tamen cultura eius est commissa, non tamquam seruili mercenariæ famulæ, sed vt fideli œconomæ. In qua ita sedulò laboraui, vt præter ducentos argenteos quos habent singuli operarij, tibi, ô Salomon, tui milleni etiam proueniant, perfecteque respondeat tuæ exspectationi prouetus vineæ mihi commissæ. Pacificus ergo hic est Salomon, vinea Ecclesia. Obscuritatem facit, quòd historia quasi in parabolam posteà applicanda, videatur in medium adferri vineæ quam circa Ierusalem habebat Salomon. Quidquid sit, Ecclesia XII.

clesia cultrix vineæ, Sponsa ipsa Salomonis pacifici nostri, apud quem nouella illa pacem se inuenisse tantopere paulò antè gaudebat, rationem quasi commissi sibi populi Christiani reddens introducitur, & tamquã vtiliter re gesta gratulabunda Sponso occurrit: longè certè meliori euentu & prouentu, quàm perfidi illi agricolæ Matth. 21. qui seruos, imò & filium Domini vineæ occiderunt, dum exigit vineæ fructum. Populosa Ecclesia est in Gentibus, quod significatur quando dicitur vinea esse in ea quæ habet populos. Meliori etiam successu hìc actum est, quàm dum Sponsa ipsa posita custos in vineis vineam suam non custodiuit, vt habemus Cap. 1. typum gerens præcipitanter arripientis curam animarum. Boni custodes vineæ vltrò suos MILLE ARGENTEOS afferunt Salomoni pro fructibus eius. Offert Ecclesia fructum mille argenteorum Pacifico suo Sponso, quando multitudinem credentium denario communi remunerandam præsentat. Ducenti autem argentei obueniunt iis qui fructus vineæ custodiunt: quia, vt Anselmus dicit, *sancti pastores, qui prouident ne sancti subditi amittant fructus æternitatis, ducentos argenteos, id est, duplex pretium lucrantur: ducenti enim duplex est ad centum. Custodes autem sanctæ Ecclesiæ duplex pretium Deo offe-*

offerunt, quia & se immaculatos Deo obseruant, & alios lucrantur, & ideò duplici præmio remunerantur. Obseruo etiam, quòd custodes potiùs quàm cultores dicantur, quia Deus præcipuus est agricola in vinea sua; operari tamen etiam nos vult, & custodire eam. Per MILLE ARGENTEOS fortè potest intelligi idem esse significatum, quod per decem talenta in Euangelio: hoc est, per quinque quæ Dominus dedit, & per alia quinque quæ bonus seruus est superlucratus: cui etiam ideò duplum prçmium detur, quòd duplum eius quod erat lucratus à Deo acceperit, cùm & talentum & lucrum totum Deo sit transscribendum, qui sua dona in seruis suis coronat.

Ceterùm circa verba Versionis nostræ, MILLE TVI PACIFICI, notandum, conformius aliis Versionibus futurum fuisse, si *pacifice* vocatiuus positus fuisset loco genitiui *pacifici*, quo modo legit eximius D. Iacobus Iansonius. Sed cùm nulla exemplaria ita habeant, vt monuit Franciscus Lucas in Correctionibus Romanis, retéta est antiqua lectio. Neque tamen ideò debent hæc verba adscribi Sponso ad Sponsam loquenti, seque eius pacificum, hoc est Salomonem appellāti, cùm aliæ Versiones potiùs faueant nobis, qui ea vt Sponsæ verba accepimus. Dici ergo

M potest,

poteſt, ſenſum eſſe, MILLE ARGENTEI TVI PACIFICI, hoc eſt, tui qui es pacificus; ſicuti ſi diceremus alicui, Miſerere tui miſeri. Fauet Liranus, qui verba Sponſæ eſſe dicit; & addit, illa verba, *tui pacifici*, eſſe genitiui caſus.

XIII. QVÆ HABITAS IN HORTIS, AMICI AVSCVLTANT: FAC ME AVDIRE VOCEM TVAM.] Illuſtrat hunc locum illud Pſalmi 141. *Educ de cuſtodia animam meam. Me expectant iuſti donec retribuas mihi*. Hæc enim eſt vox ad quam Sponſus hîc excitat Sponſam, quæ in hortis habitat cuſtodiens vineam & hortos, & ipſa quaſi in cuſtodia ſiue carcere corporis aggrauantis ſe detenta. Amici hîc auſcultantes vocem Sponſæ, vt habent LXX. ſunt iuſti ipſam expectantes. Gratificatur Sponſus Sponſæ, dum etiam ad coronam eam auocare non vult niſi id petentem. Ceterùm Sponſa facilè perſuaſa facit vt Sponſus eam audiat, quandò in hæc verba prorumpit, tradens & commendans in manus Dilecti ſui animam ſuam:

XIV. FVGE DILECTE MI, &c.] Quaſi dicat: Bonum certamen certaui, fidem ſeruaui, curſum conſummaui: non prolongetur incolatus meus in hortis iſtis laborioſis & vinearum cuſtodiis; ſed iam animam meam habens, FVGE DILECTE MI, cum tua chariſſima rapi parata: & ad te ſumptâ Sponſâ, fu-

ge

ge magna celeritate inſtar CAPREÆ HINNVLIQVE CERVORVM, vt ſolent incolæ montis Dei, id eſt, cæli, qui & mons aromatum eſt: quia ibi apud Deum, qui non eſt iniuſtus vt obliuiſcatur operis noſtri, adſcripta ſunt merita & labores noſtri, pro quibus æternam retributionem accipere anhelo, & coronam immarceſcibilem repromiſſam. Fuge, inquam, non obſtante naturali amore animæ ad corpus. Fuge, non à me, ſed mecum; vt ego te amplectar, te fruar, & in te quieſcam in æternum.

FINIS.

INDEX RERVM

in quo prior numerus caput, posterior versum capitis indicat.

A.

Aqua

Oculi,

dentes,

Fons

quomo-

Mor-

Sap-

venter,

sus

FINIS.

APPROBATIO.

SPonsi Sponsæque castæ deliciæ, quia idonea Sectione dispunctæ, sano claroque sensu eductæ, vltroneas se obuiasque hîc exhibent; publico bono, in publicum prodibunt. Louanij XIII. Maij, M. DC. XXVIII.

Mart. Lunecenius Apostolicus ac Regius librorum Censor.

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPI IV. Hispaniarum Regis Catholici & Potentissimi Belgarum Principis Priuilegio cautum est, nequis IOANNIS MALDERI *Episcopi Antuerpiensis S.Th. quondam Louanij Professoris in Canticum canticorum Salomonis Commentarium* præter Balthasaris Moreti voluntatem vllo modo intra sexennium imprimat, aut alibi terrarum impressum in Germaniæ inferioris ditiones importet, venalémve habeat. Qui secùs faxit, confiscatione Librorum, & aliâ graui pœnâ mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, XVII. Augusti M. DC. XXVIII.

Signat.

De VVitte.

ANTVERPIÆ,

EX OFFICINA PLANTINIANA,

BALTHASARIS MORETI.

M. DC. XXVIII.


LABORE ET CONSTANTIA.

1-6-2

IHS